Si quis me querit
Hic nomen erit.

Joannes Antonius
Musiałowicz Paro
chg Gorenecensis
Anno 1692
Augusti

$\frac{1}{4}$ metalen

Annumeror bibliothecæ Christiani Casimiri
Risii Rastenburgensis Prussi. diœc. Warm:
Annô 1698. die 14. Junii.

DECACHORDVM PSALTERIVM, IN QVO

TRADITVR METHODVS VTILISSIMA, tùm ad stabiliendam sub Psalmodia & Oratione vocali attentionem & deuotionem: tùm ad vsum variorum Dei nominum, & obsecrationum, ac petitionum salutarium: quæ hîc proponuntur & explicantur, vt & eis semper & vbiq; formentur, & eliciantur deuotæ aspirationes, & iaculatoriæ ad Deum orationes, ad proficiendum in amore Dei non parum vtiles.

Authore R. P. F. IOAN. MICHAELE Constantiensi, Priore Cartusię maioris, & vniuersi ordinis Cartus. generali Ministro. Cuius etiam studio & opera subnectitur Methodus seruiendi Deo, R. P. Alphonsi Madriliensis, in formam continuæ orationis redacta, & breuiùs collecta.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Ioannem Gymnicum, sub Monocerote.
ANNO M. DC.

Cum Gratia & Priuilegio S. Cæsareæ Maiestatis.

NOs *Fr. Antonius à sancto Paulo, Prior domus S. Crucis in Iaresio, Conuisitator prouinciæ Aquitaniæ, & Fr. Thomas Coquebart Prior domus S. Spiritus in ciuitate Lugdunensi, deputati per Reuerendum Patrem Priorem Maioris Cartusiæ, ac totius ordinis nostri Cartusiensis Generalem ministrum, vidimus, & examinauimus libellum* Psalterij Decachordi *ab eo editum*, cum Methodo seruiendi Deo R. P. F. Alphonsi Madriliensis, in formam continuæ orationis ab eodem R.P. Michaële redacta, & breuiùs collecta: *in quo nihil reperimus quod Catholicæ fidei repugnet, sed quod mentem diuino amore inflammet, & idcircò eum, vt verè pium, censemus esse imprimendum, & in lucem emittendum ad Dei laudem, piorum consolationem, & omnium salutem. In quorū fidem hîc subscripsimus. Lugduni* 14. *Octobr.* 1597.

Fr. Ant. à S. Paulo, Prior S. Crucis, Conuisitator Aquitaniæ.

Fr. Thomas Coquebart Prior sancti Spiritus.

EGo Fr. Ioan. Comes in Academia Parisina Doctor Theologus & Lugdun. monasterij ord. Eremit. S. Augustini Prior, librũ cui titulus est *Psalterium Decachordum*, summo studio artificioq́ue à Reuer. admodum in Christo Patre ac D. Fr. Ioan. Michaële Constantiensi, Cartusiæ maioris Priore vigilantissimo, ac totius ordinis Cartus. Generali ministro, elaboratum, methodoq́ue optima & admirabili dispositum, cum Methodo seruiendi Deo R. P. Fr. Alphonsi Madriliensis, in formam continuæ orationis ab eodem R. P. Michaële redacta & breuiùs collecta, Reuerendissimi D. Lugdun. Archiepiscopi mandato perlegi: eundemq́ue orthodoxæ, Apostolicæ & Romanę fidei ac doctrinæ congruentissimum, adq́ue humanam mentem purgandam, illuminandam, & Deo Opt. Max. nexu stabili ac firmo vniendam plurimùm valere, eamq́ue ob rem in communem Christianæ Ecclesiæ vsum, promotionem & fructum, luce dignissimum existimaui. Lugdun. apud S. Augustinum, pridie Idus Octobr. anni 1597.

Fr. Ioannes Comes.

PSAL-

PSALTERII *Decachordi Liber à R.P.Fr.Ioan. Michaële Constantiensi, totius sacri ordinis Cartusiẽsis Generali ministro compositus, sana salutarique doctrina refertus, ac penè infinitis veræ pietatis igniculis perillustris, cum Methodo seruiendi Deo R. P. Fr. Alphonsi Madriliensis, in formam continuæ orationis ab eodem R. P. Michaële redacta & breuiùs collecta, nostro iudicio dignißimus est qui in lucem emittatur. Lugdun. Idibus Octobr.* 1597.

Chalom Offic. Lugdun.

PSALTERIVM Decachordum R.P.Fr.Ioannis Michaëlis Constantiensis, maioris Cartusiæ Prioris, grauium doctorumque hominum iudicio approbatum, cum Methodo seruiendi Deo R. P. Fr. Alphonsi Madriliensis, in formam continuæ orationis ab eodem R.P. Michaële redacta & breuiùs collecta, in lucem edendi facultatem concedimus. Lugdun. Idib. Octobr. 1597.

P. Depinac Archiepiscopus Lugdunensis.

AVTHORIS AD DEVM ORATIO, ET HVIVS LIBELLI OBlatio & dedicatio.

DOMINE IESV CHRISTE, qui per Apostolum tuum Petrum monuisti, vt vnusquisque nostrum, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administret: sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei: vt huic tuo consilio & voluntati ex puro amore obediam, & sola intentione & desiderio te honorificandi, & proximos iuuandi: Methodum hanc stabiliendæ sub Psalmodia, & oratione vocali, attentionis & vtendi variis nominibus Dei, & obsecrationibus ac petitionibus, ad aspirationes & iaculatorias ad te orationes vbique fundendas & eliciendas vtilissimis, quam me docere dignatus es: & quam fructuosissimam, & facillimam esse longa experientia didici, tam in me quàm in pluribus aliis, quibus illam cõmunicaui: in præsenti libello, te inspirante & donante, mihi primùm descripsi: & nunc multorum

non

non vulgaris notæ virorum (qui eam communi vtilitati profuturam iudicant & sperant) crebris monitis & suasionibus inuitatus & impulsus: in publicum profero, & propono omnibus quidem deuotis: sed maximè nostri Cartusiensis ordinis nouis tyronibus, & aliis religiosis in via spirituali incipientibus, & proficere desiderantibus, qui aliam conuenientiorem methodum non habent. Et quia fundamentum aliud nemo potest ponere solidum & salutare, præter te, (IESV Christe pro nobis crucifixe:) Ideò Methodus hæc est superædificata & fundata super te, & Psalterij Decachordi nomine, ob id nuncupata: quia per eam docetur qualiter decem tuæ crucifixæ humanitatis membris, tanquam decem huius Psalterij chordis, sint applicandæ singulæ distinctiones Psalmodiæ, & cuiuslibet orationis vocalis: variaq; nomina Dei, & obsecrationes ac petitiones salutares, pro maiori attentione & deuotione. Accipe igitur, benignissime IESV, quod te tuis donis & datis acceptum tibi offerimus, & tuo nomini dicamus & nuncupamus, & per te ac tuos (quorum, & Ecclesiæ tuæ correctioni, nos & omnia nostra plenè subiicimus) quicquid in hoc libello imperfectum & emendandum fuerit, digneris supplere & corrigere. Et eos qui hac Methodo deuotè vsi fuerint illuminare, excitare, inflãmare, & confortare, ad hoc vt per eam proficiant in tui cognitione & amore, ac vera deuotione: ad tuam maiorem gloriã, & anima-

rum salutem, quam solam hîc & vbique pro nostro fine, & beatitudine intendimus, quærimus & expectamus, te donante, qui cum Patre & Spiritu sancto viuis & regnas Deus in secula benedictus, Amen.

* *


*

INDEX CAPITVLORVM HVIVS LIBRI.

In sequentibus Capitulis explicantur Decades in tabula generali breuiter propositæ, eodem ordine, quo in eadem tabula inueniuntur, & hîc per capitula distinguũtur.

Capitvm.

FINIS.



In Psalterio decem chordarũ psallite illi. Psalm. 32

PSALTERIVM DECACHORDVM.

Quod Psalterium nostrum Decachordum sit IESVS CHRISTVS *crucifixus.*

CAPVT I.

PSALTERIVM hoc decachordum in quo psallere, orare & meditari attentè & deuotè possumus; est ipse Dominus noster IESVS CHRISTVS crucifixus: cuius decem membra in præcedenti crucis figura descripta, & suis numeris distincta, decem sunt chordæ: quas psallendo, & orando, spirituali modo tangere debemus: prout hic consequenter declarabitur.

ANNOTATIO IN Crucis figuram prædi-ctam.

PIE Lector, aduerte in hac Crucis figura numerari, & distingui membra Domini nostri IESV Christi, non omnia, neque ordine aliquo dignitatis: sed ea tantum, quæ visa sunt huic exercitio aptiora: & ordine scalari, ascendendo ab infimis ad superiora, prout sunt in Cruce disposita, & extensa. Aduerte præterea tres numeros in corde Christi collocari: videlicet quartum in latere: decimum in medio cordis. Quia enim cor IESV Christi, est totius gratiæ & benedictionis gazophilacium: vt erga illud maior deuotio excitetur, fingimus illud quasi totum occupare pectus, licet sciamus in latere sinistro illud esse. Itaque latus dextrum lancea perforatum aspicientes, cordis dextram partem, ad quam etiam lancea peruenit, intelligamus. Latus verò sinistrum pectoris respicientes, cordis sinistram partem consideremus, in qua animam Christi vsque ad mortem contristatam collocamus: non quod ipsa in aliis membris non sit, (quam scimus totam in toto corpore, & totam in qualibet parte esse:) nec propterea quod sit ibi excellentiùs quàm in capite, vbi sensus omnes vigent: sed quia cor primum sit viuens, & vltimum moriens: & ipsa vis concupiscibilis, & irascibilis, (ad quam gaudij, tristitiæ, ac iræ paßiones, & affectiones pertinent) in corde sedem habeat; Atque etiam propterea quod in alia parte huius figuræ Crucifixi conuenientiùs poni anima non potuit.

Porrò cordis medium, in medio pectoris esse fingimus, & in hac Crucifixi imagine collocamus: vbi diuini-

uinitatem CHRISTI *esse intelligimus: non quod ibi magis, quàm in aliis membris sit, quibus omnibus in persona filij æqualiter est vnita: sed quia in hac Crucis figura conuentiorem locum habere non potuit: ibi enim ponitur tanquam in centro & fine huius scalæ, & psalterij: cuius ipsa est finis, & consummatio. Cæterum corpus* CHRISTI *in hac Crucis figura notamus, & distinguimus in superiori parte pectoris, quia alibi conuenientiùs in hac figura notari non potuit.*

(.:.)

C. C. R.

Modus vtendi Psalterio Decachordo prædicto, pro habenda attentione, & deuotione sub psalmodia, & qualibet oratione vocali.

CAPVT II.

1 *Psallendum attenta mente.* PSALLAM spiritu, psallam & mente 1. Corinth. 14. Gloriosus Apostolus his verbis perfectæ orationis formam exprimens, suo nos admonet exemplo, vt non solum psallamus spiritu, hoc est, spiraculo oris verba proferendo: sed etiam psallamus mente, id est, mentis sensu, & attentione eisdem verbis intendendo, & rectè quidem: quia oratio præcipuè cordis est, non labiorum. Neque enim tam sonum orantis Deus attendit, quam deprecantis cor, & affectum, vnde ex D. Augustini sententia, non leui crimine tenetur astrictus, quisquis in oratione cum Deo loquitur: & subitò ab eius aspectu voluntariè retrahitur, quasi ab oculis non videntis, non audientis. Non enim orat, sed subsannat potius, & ad iracundiam prouocat Deum: qui cùm ante conspectum eius oraturus aduenerit, subitò se ad alia quæ non pertinent, sponte conuertit, nec precem suam attendere studet, quam à Deo petit exaudiri.

2. *Quod ad stabiliendā attētionē in psalmodia, à diuersis varia sunt tradita remedia.* Cæterum nullus est, qui non experiatur quã sit difficile mentem suam, & attentionem stabilire in psalmodia, & oratione vocali. Propter quod, multi spirituales, & deuoti viri, varia excogitauerunt, & scriptis reliquerunt exercitia, & adiumenta pro mente in ora-

oratione stabilienda, & deuotione excitanda. Inter quos Gerson Cantichordum suum tribus tractatibus latè prosecutus est: Nider in suo Alphabeto amoris manum quandam formauit, & plurima adiumenta pro attentione præscripsit. Hugo de sancto Victore in suo de oratione libro, exercitium ad hoc posuit.

Mamburnus, author Roseti Chiropsalterium mirabile, sed ad exercendum difficilè adinuenit. Dionysius Carthusianis, versus singulos psalmodiæ per articulos digitorum distinguere consuluit: Quod etiam ipsis Carthusiensibus vetus, & vsitatum fuisse Nider scripsit. Lanspergius Cartusianus Alphabetum variorum Dei nominum, & virtutum ad hoc disposuit.

Diuus Bernardus singulos versus psalmodiæ singulis vulneribus Crucifixi intingendos consuluit. Ex cuius consilio præsertim, & etiam patris nostri Dionysij Carthusiani hortatu, nos sequentem psallendi modum in præfato psalterio decachordo Domino nostro IESV CHRISTO crucifixo, collegimus: quem à multis annis continuè exercentes experti sumus esse facillimum, & vtilissimum, tùm ad stabiliẽdam mentẽ in psalmodia, & oratione (ea prẹsertim, quæ memoriter, & distinctè cantatur, aut dicitur) tum etiam ad fouendam deuotionem ex consideratione præsentiæ Domini nostri IESV Christi crucifixi: si tamen iuxta sequentem modũ cum deuoto, & continuo studio exerceatur. *3. Psalteriũ hoc decachordũ vnde sit collectum.*

Vt igitur in hoc decachordo psalterio 4.

Qualiter hoc psalterio sit vtendũ sub psalmodia & oratione vocali.

IESV Christo crucifixo, deuotè psallere & orare possis: singulas distinctiones versuum psalmodiæ, & aliarum orationum vocalium, singulis decem membris eiusdem Domini crucifixi applica, & assigna: eo ordine quo in figura Crucis supra posita descripta, & distincta sunt: incipiendo à pede dextro, & finiendo in medio cordis: & rursus à pede dextro inchoando, & per cætera membra ascendendo, donec psalmodiam, vel orationem tuam finieris, hoc obseruato, quod quemlibet psalmum à pede dextro semper incipias: licet præcedens psalmus non fuerit finitus in medio cordis. Item si versus psalmodiæ tres habens distinctiones, inchoatus fuerit in nono membro: duas postremas distinctiones, poteris in decimo collocare: & si versus fuerit finitus in nono membro: poteris sequentem inchoare non in decimo, sed in primo, sic vt semper in primo membro crucifixi versum inchoes, nisi aliquando deuotio aliud postulet: licet autem singulis membris posses versum integrum psalmodiæ applicare: consultius tamen est, & vtiliùs (præsertim si sensum psalmodiæ intelligas) ad singulas distinctiones versuum membra Christi variare: pro fuga distractionum, & attentiori consideratione singularum sententiarum.

5 *Qualiter sit ...tendi ...oc psa...rio, ...t non*

Sic autem distinguens, & applicans singulas distinctiones versuum psalmodiæ singulis membris crucifixi: attende potiùs ad sensum earum, quàm ad ipsorum membrorum, quibus applicantur, qualitatem, quantitatem, cruciatũ, aut figuram: ita vt ipsa mem-

bra tibi ſint pro fundamento, & obiecto lo- *impediatur, ſed iuuetur attẽtio ad ſenſum verborum.*
cali ad ſtabiliendam attentionem, & deuo-
tionem excitandam: vnde debes iſta membra
recogitare per ſimplicem, & rationalem in-
telligentiam: abſque imaginatione, & conſi-
deratione coloris, vel magnitudnis, aut
cruciatus illorum: ſicut faceres, ſi ſingulis
articulis digitorũm, (iuxta Dionyſij Carthu-
ſiani cõſilium) ſingulas diſtinctiões verſuum
pſalmodiæ tangendo applicares. Tunc enim
abſque vlla imaginatione & conſideratione
coloris, vel magnitudinis, aut alterius quali-
tatis articulorum prædictorum: ſcires & ad-
uerteres te talem pſalmodiæ diſtinctionem
tali articulo digiti applicare: nec hoc te im-
pediret, quo minus attenderes ad ſenſum
illius ſentẽtię; imo hæc ſollicitudo applican-
di ſingulas ſententias ſingulis digitorum ar-
ticulis, te attentiorem redderet: & faceret vt
ſingulas diſtinctiones ſtudioſiùs, & peculia-
riùs ponderares, diſtinctiuſque ſenſum earũ
conſiderares. Sic tu ſingulas pſalmodiæ ſen-
tentias, ſingulis crucifixi membris applicans;
noli conſiderare illorum membrorum qua-
litatem, aut figuram; ſed aduertens ſolum te
tali membro talem ſentẽtiam applicare, eius
ſenſum conſidera: hac enim ſollicitudine ſic
applicandi ſingulas pſalmodiæ ſententias, a-
liæ diſtractiões fugabuntur: & attentior fies
ad ſenſuum pſalmodiæ.

Inſuper hac methodo, in præſentia Domi- *6. Quod per huius pſalterij*
ni noſtri IESV Chriſti Dei & hominis pro
te crucifixi ſtabilieris: dum aduertes, & ſcies
te ſemper hoc vel illud eius membrum aſpi-

vsus deuotio excitetur & oratio fiat efficacior.

cere, vel cogitare. Quod excitabit te ad reuerentiam, & deuotionem: tuamque orationem acceptionem Deo, & ad impetrandum, & promerendum eius gratiam efficaciorem reddet: hanc enim generalem, & virtualem intentionem semper habere debebis, qua intendas singulas psalmodiæ, vel orationis tuæ sententias, singulis Christi membris, ad eorum venerationem, tanquam flores honoris applicare, & superimponere; desiderans omnes orationes tuas, petitiones, & laudes, per eorundem membrorum sanctitatem, exercitationẽ, passiones & merita acceptari, & exaudiri. Sic enim singulæ petitiones tuæ, obsecrationes fient: multoque efficaciores erunt, & Deo gratiores. Neque enim est aliud nobis datum nomen, in quo saluemur, præter IESVM crucifixum: vnde & orationes ferè omnes Ecclesiæ per eundem IESVM Christum Dominum nostrum concluduntur, & exaudiri petuntur. Certum est etiam quod quoties pia deuotione IESV Christi Domini nostri crucifixi imaginẽ aspicimus, aut cogitamus: toties nouæ misericordiæ respectu ab eo respicimur. Tu ergo intendens tuas orationes per Christi crucifixi membra (quibus applicantur) exaudiri: efficaciùs desideratam gratiam à Deo impetrabis. Porrò quando magis distractus eris, aut psalmodiæ sensum minus intelliges, vel parum deuotionis in eo reperies: tunc poteris prædictam generalem intẽtionem actu renouare: obsecrando Dominũ, vt per membra sua, quę recolis, & per omnia, quæ in eis operatus est,

& paſſus, tui miſereatur, tuaſq́; orationes ſibi acceptas faciat: & in his, quæ tibi reſtant dicenda, attentiorem & deuotiorem te reddat. Vt autẽ expeditiùs in hoc Pſalterio Decachordo pſallere, & orare poſſis: vtile erit te memoriter ſcire ea, quæ volueris cantare, vel dicere. Nã ſi ea legere oporteret, difficilè eſſet illa (ſicut dictum eſt) membris crucifixi applicare.

Quando etiam voles orationes aliquas 7
memoriæ commendare: earum ſententias diſtingue per decades; & eas decem crucifixi membris applica. hoc enim tuam memoriam ſtabiliet; & faciet vt poſteà aſpiciens vel recogitans ſingula crucifixi membra, faciliùs earum ſententiarum recorderis, quas illis iam applicare didiciſti. Porrò quoniam difficilè eſt, & laborioſum, ac infirmo capiti periculoſum, abſentem imaginẽ crucifixi ſemper inter pſallendum recogitare, & præſentem fingere: propterea expedit, vt quãdo tibi licet, & abſq; ſingularitatis nota potes, habeas inter pſallendum imaginem crucifixi tibi præſentem; in quem aſpiciens ſingulas pſalmodiæ ſententias, ſeu diſtinctiones ſingulis decem membris eius applices.

Facilius memoriæ commendantur, quæ huic decachordo pſalterio applicantur.

Et quia non potes ſemper habere imagi- 8
nem crucifixi præſentem, vt abſque periculoſa, & laborioſa imaginatione poſſis vbiq; eam tibi repræſentare: deſigna, & diſtingue in interiori parte digitorum dextræ manus tuæ, decem crucifixi membra in hunc modũ. Colloca ergo, & imaginare.

Pſalteriũ hoc Decachordũ qualiter in manu

1 Pedem dextrum crucifixi in extremita-

ſit appli candũ & exercendũ. te digiti tui auricularis.

2 Pedem ſiniſtrum in prima iunctura interiori eiuſdem digiti.

3 Genua in prima iunctura digiti ſequentis, qui medicus dicitur.

4 Latus cordis dextrum, in extremitate medij digiti.

5 Siniſtrum cordis latus, in ſecunda iunctura eiuſdem digiti medij.

6 Corpus, & pectus, in ſpatio, quod debes fingere, & notare inter digitum medium, & indicem.

7 Manum dextram, in extremitate digiti indicis.


8 Caput, in prima iunctura eiuſdẽ digiti.

9 Siniſtram manum, in ſecunda iunctura eiuſdem digiti.

10 Cordis medium in prima iunctura medij digiti.

Sicut in ſequenti figura vides notatum.

Chiropſalterium Decachordum.



Hęc autem decem membra sic in interiori parte manus tuæ dextræ descripta & situata, facilè absque laboriosa imaginatione, inter psallendum recogitabis: tangendo pollice eiusdem manus, loca digitorum in quibus sunt collocata, & distincta. Sic habebis Chyropsalterium Decachordum: in quo poteris psallere etiam quando cum aliis fueris, & imaginem crucifixi præsentem ob oculos nō habueris. Imò etiam quando ex libro leges psalmos, & orationes tuas, poteris (licèt aliquantò difficiliùs) hoc Chyropsalterio vti: ad singulas psalmodiæ sententias, seu distinctiones, tāgendo pollice tuo singula loca digitorum, in quibus decem illa membra crucifixi assignasti. Conare ergo pia, & sedula intentione te in hac crucifixi Domini imagine inter orandum & psallendum stabilire.

Quod si incipiēs in hoc psalterio te exercere, senseris te magis inde distrahi, grauari, ac aridior fieri: noli tamen propterea statim exercitium istud relinquere, & abiicere. Sed placidè, absq; nimia violentia, & anxietate, illud aliquanto tempore prosequere: donec ipsō vsu facilè tibi fiat singulis membris crucifixi singulas sentētias applicare. Principia enim cuiuslibet artis & exercitij difficilia, & amara, vt plurimùm videntur; quæ tamen ipso vsu leuia, & dulcia sentiuntur. 9. *Propter difficultatē ab initio occurrentem non est desistendū ab vsu huius psalterij.*

Si igitur deuota intentione, humiliter, patienter, cōfidenter, placidè & studiosè huius Psalterij decachordi vsum iuxta formā præscriptam aliquāto tempore frequentaueris; experieris te inde non parum iuuari ad tri- 10. *Vsus huius psalterij pro*

deſt ad triplicē atten-tionem. plicem attentionem Pſalmodiæ: verborum ſcilicet, ſenſus, & finis: Nam ſollicitudo applicandi ſingulas ſententias ſingulis mēbris crucifixi, faciet te attēdere ad ipſa verba pſalmodiæ; nec impediet, imò iuuabit attentionem ad ſenſum ſententiarum ſingularū meliùs ponderandum, & guſtandum, prout eſt explicatum.

Poſtremò per huius Pſalterij vſum, in præſentia Domini noſtri IESV Chriſti (qui eſt Pſalmodiæ & orationis noſtræ finis) ſtabilièris; dum eius membris ſingulas ſententias applicare ſtudebis. Si quis etiam abſque huiuſmodi exercitio ſenſerit ſe in Pſalmodia, & oratione ſua ſatis recollectum, attentum, & in Dèi præſentia ſtabilitum: quandiu ita affectum ſe ſentiet, hoc exercitio non indigebit. Cùm verò magis diſtractum & inſtabilem ſe perſpexerit: vtiliter hoc, vel ſimili exercitio mentem ſuam ad attentionem & deuotionem excitabit, atque in præſentia Domini noſtri IESV Chriſti ſtabiliet. Veruntamen conſultiùs eſt certam methodum ſtabiliendi mentem in diuino ſeruitio ſemel receptam, perſeueranter cuſtodire, & exercere. Sic enim ea in conſuetudinem & habitum tranſibit: atque faciliùs ac delectabiliùs ſeruabitur.

De alio vsu Psalterij Decachordi suprà descripti, ad varias decades memoriæ commendandas, & in vsum multiplicem trahendas.

CAPVT III.

PRAETER vsum nostri Psalterij Decachordi, qui explicatus est pro dicenda attentiùs Psalmodia, & oratione vocali: alius etiam vtilissimus eius vsus est, pro memoriæ commendandis, & in vsum multiplicem trahendis, variis decadibus nominum Dei, obsecrationum & petitionum, quę ad orationem mentalem, & ipsum etiã Psalmodiæ sensum locupletandum non parum conferunt.

Siquidem inter multa, quæ ad orationem mentalem expeditiùs faciendam per humanam industriam iuuare nos possunt, hoc vnum est vtilissimum: vt in promptu habeamus, & certo ordine dispositos memorię cõmendemus articulos meditandos breuibus verbis comprehensos; ne tempore mentalis orationis incerti fluctuemus; aut aridi, & ieiuni remaneamus. Propterea variæ hîc proponuntur decades, quorum singuli decem articuli, singulis decem crucifixi membris sunt applicandi, pro memoria locali, & deuotione iuuanda; sicut de psalmodiæ sententiis, & distinctionibus est iam declaratum. *1. Decadũ vsus ad orationẽ mentalem vtilis.*

Atque inprimis ponuntur duæ decades ternariorum Dei nominum superlatiuorũ, exprimentium diuinas perfectiones; deinde sequuntur tres aliæ decades ternariorũ Dei *2. Quæ, et quo ordine de-*

Decades in hoc libello proponantur. nominum, significantium diuina erga nos beneficia, proprietates, & officia. Singula autem hæc nominum ternaria, tribus personis supersanctissimæ Trinitatis appropriantur, licèt omnia domino nostro IESV Christo Deo, & homini possint attribui. Cæterùm per horum nominum considerationem, & deuotam commemorationem captamus Dei beneuolentiam, excitamur ad eius amorem & deuotum obsequium, & faciliùs ac efficaciùs impetramus petitionum nostrarum exauditionem.

3. Decades obsecrationũ quæ sunt. POST decades nominum Dei, proponuntur decem decades obsecrationum; hoc est, rerum sacrarum: quarum virtute, merito, vel intercessione confidentiùs, & salubriùs exaudiri postulamus, & expectamus; in quibus primum locum obtinent perfectiones supersanctissimæ Trinitatis. 2. Conditiones diuinæ erga nos charitatis. 3. Festa Domini nostri IESV Christi. 4. Fontes Saluatoris ex eius membris profluentes. 5. Sacramenta Ecclesiæ. 6. Passionum Christi genera. 7. verba eiusdem in cruce prolata. 8. Festa beatissimę Dei genitricis Mariæ. 9. Ordines Angelorũ. 10. Chori Sanctorum.

4. Decades petitionum. Tertio loco habentur vndecim Decades petitionum, continentium omnia, quæ ad salutem nostram pertinent. Et quidem prima Decas continet petitiones orationis Dominicæ. 2. Virtutes Theologas & Cardinales. 3. Decalogi præcepta. 4. Dona Spiritus sancti. 5. Beatitudines Euangelicas. 6. Fructus Spiritus sancti. 7. Vota & exercitia religioso-

rum. 8. Virtutes morales. 9. Vitia capitalia. 10. Pœnas inferni. 11. Præmia paradiſi.

Quarto & poſtremo loco proponuntur quatuor Decades Ternariorum nominum, tribus perſonis Superſanctiſſimæ Trinitatis appropriatorum; in quorum conſideratione, & contemplatione poſſumus hîc exercitia Beatorum prægustare: ipſam ſuperſanctiſſimam Trinitatem ſuper his nominibus adorando, glorificando, amando, eiq́ue congratulando, & nos totos in eius obſequium gratiſsimum, & omne beneplacitum offerendo. *5. Decades ternariorũ ſanctiſſimæ Trinitatis.*

Porrò iſtæ decades omnes, primò breuiter, & ſub nudis verbis in ſequenti tabula, tãquam in quodam cõpendio, & epitome proponuntur. Poſteà verò docetur, qualiter in varios vſus accommodari poſſint. Poſtremò ſinguli decadum articuli fuſiùs explicantur eo ordine quo ſunt poſiti in ſequenti tabella. In his autem decadibus articuli non ſunt certo ordine ſemper diſpoſiti; ſed eo, qui viſus eſt deuotioni orantis magis congruere; & ſecundùm quem diuerſarum decadum articuli viſi ſunt ſibi inuicem magis reſpondere & cohærere. Quædam etiam hîc ponũtur quæ verbis diuerſa, eundem ſenſum habere videntur: quæ tamen diuerſo ſenſu infra explicantur. Aliqua inſuper in diuerſis decadibus ſunt repetita: iuxta quod diuerſis decadibus conuenire viſa ſunt. Prætereà in quibuſdam decadibus aliqua ſunt addita, quæ ſub titulo decadis propriæ non continentur: licèt cæteris articulis ſatis congruant: quædã

verò,

verò, quæ vnum ſolent articulum facere, in duos ſunt diuiſa. Quòd ideò factum eſt vt decades ſingulæ complerentur; prout infrà diſtinctiùs patebit. Deniq; plurima vocabula hîc ponuntur piis, & ſpiritualibus, non etiã curioſis cognita, & ab illis probata: quibus etiam, non alijs, iſta proponimus.

6. *Modus ſeruandus, vt abſque grauamine decades prædictæ memoriæ commẽdentur, & exerceãtur.*

Cæterùm ne multitudo decadum ſequentium te deterreat, vel obruat, vt memoriam confundat (pie lector, & deuote exercitator) hunc ordinem & modum in illis addiſcendis & exercendis ſequere. Primò addiſce decadem membrorum Chriſti crucifixi, vt ſuper his cæteros articulos aliarum decadum poſsis applicare, & memoriæ commendare: ſic enim illos faciliùs ediſces: firmiùs retinebis, & fructuoſiùs exercebis. Secundò, tria ternaria primæ decadis nominum Dei, prout habentur in ſequenti tabula, memoriter addiſce: nouem eorum nomina, nouem crucifixi membra applicando. Tertiò, lege attentiùs iterum atque iterum eorum interpretationem: non vt eam memoriæ commendes, ſed vt illorum ſenſum & ſignificationem percipias. Quartò, repete ſæpiùs illa nouem nomina per modum breuis aſpirationis: præmittens ſingulis (Aue IESV) & ſi vis, ſubiungens pro obſecratione (Eya miſerere noſtri.) Neque enim neceſſe eſt ab initio addiſcere peculiares obſecrationes, quæ ſingulis nominibus congruunt: ſed ſufficit noſſe ſignificationem ſingulorum vocabulorum; vt ſic faciliùs, & breuiori tempore memoriæ commendentur. Quintò, recole &

exer-

exerce illa tria ternaria ſub diuino officio, quod in eccleſia attractiùs cantatur: idque quoties canitur verſus (Gloria patri(vel Kyrie eleiſon)vel(Alleluia:)vel quoties nomen Dei aut Domini pronũciatur, iuxta modum q infrà explicatur capitulo ſeptimo. 6. Poſtquàm autem vno,aut duobus diebus, illa ternaria prima ſic repetẽdo, & exercendo menti tuæ, & affectioni ita impreſſeris, vt quoties volueris,ea facilè recogites, & exerceas: tunc & non antè; accede ad alia tria ternaria ſequentia eiuſdem primæ decadis ſimili modo ediſcenda, repetenda & exercẽda, donec firmiter ea memoriæ commendaueris: non omittens ſaltem ſemel in die breuiter repetere priora ternaria quæ didiciſti, ne labantur è memoria. 7. Deinde quatuor vltima ternaria primæ decadis ſimul addiſce, & modo præfato repete,& exerce. 8. Quibus probè menti infixis; aliam decadem ſimili methodo aggredere;deinde tertiã, poſteà quartam,& poſtremò quintam: & etiam ſextam, quæ ſimiliter continet decẽ ternaria, ſic paulatim & per partes ediſcenda ſicut dictũ eſt. 9. Sequentes verò decades (quæ ſingulæ continent tantùm decem articulos, decem crucifixi membris applicandos) addiſces vnam poſt aliam:aſſumendo ſimul vnam integram decadem memoriæ commendandam, repetendam,& exercendam modo præfato:& cũ vnam didiceris ad ſequẽtem progrediendo, donec omnes exercueris. 10. Vltimas verò quatuor decades nominũ Superſanctiſſ. Trinitatis, (quæ ſingulæ continent decem ter-

naria)

naria) addiſces, & exercebis modo obſeruato, & præſcripto in ternarijs nominum Dei. Sic autem procedendo poteris abſque grauamine omnes iſtas decades infra tres, vel quatuor mēſes, vel plures aut pauciores (prout maius, vel minus otium habueris, & ſtudium appoſueris) memorię commendare, & earum ſenſum guſtare, & percipere.

7. *Copioſa aſpirationum materia in his decadibus inuenitur.* Vnde habebis ſemper in promptu copioſam materiam aſpirationes deuotiſſimas, & iaculatorias orationes vbique locorum facillimè eliciendi, etiam ſub diuino officio: maximè publico, quod cum maiori grauitate cantatur. Sic etiam occupatus in recogitatione, & exercitatione iſtarum decadum, facilius vitabis, & abijcies vanas cogitationes: quæ ſolent animum vacantem, & non ſatis ſtudiosè ſe occupantem inquietare, & ab attentione orationis diſtrahere. Sicut enim clauus clauo pellitur: ſic vanæ cogitationes, bonis expelluntur. Inſuper dominus Deus (qui vult nos ſibi cooperatores eſſe, faciendo quod in nobis eſt) tantò abundantiùs gratiam deuotionis tibi infundet: quantò ſtudioſiùs te exercueris in vſu iſtarum decadum per amoroſas aſpirationes, & obſecrationes.

Quod ſi nolueris, aut non tibi per otium, vel ingenium licuerit omnes has decades addiſcere: elige ex illis eas, quibus te magis ad deuotionem affici ſenſeris; & alijs omiſſis, in his te exerce modo præfato. Iſtæ autem quæ ſequuntur, decades, videntur ad vſum magis neceſſariæ. Prima, tertia, & quarta de-

cas ternariorum Dei nominum. Et inter decades obſecrationum, tertia, quarta, octaua, nona, & decima. Ex decadibus autem petitionum, tertia, quarta, ſexta, & octaua. Decades verò ternariorum ſuperſanctiſſimæ Trinitatis poſſunt ab inchoantibus omitti: ex quibus prima, & tertia ſunt vtiliores.

Poſtquàm probè didiceris, & modo præfato exercueris omnes decades, vel eas quas elegeris: tunc vtiliter accedes ad earum interpretationem attentiùs ruminandam cum obſecrationibus adiunctis, & in affectum trahendam. Ad quod deputabis quotidiè (ſi libuerit) certum tempus (puta dimidiam horam) in qua tot duntaxat articulos, vel nomina ruminanda aſſumes, quot opus tibi fuerit ad illud tempus deuotæ meditationi impendendum: & ſequentis horæ meditationem ſemper inchoabis ab eo articulo, in quo præcedentem finieris; donec omnes decades alias poſt alias ſic meditatus fueris, & menti tuæ impreſſeris.

TABVLA VARIARVM DECADVM, PSALTERIO Decachordo applicandarum.

CAP. IIII.

¶ *Decas prima continens decem membra Crucifixi: super quibus, tanquàm super firmo fundamento, cæteræ Decades sunt applicandæ: earumque numeri, referendi sunt ad decem numeros membrorum Christi in hac decade prima expressorum.*

1 Pes dexter perforatus.
2 Pes sinister confixus.
3 Genua ad orationem flexa, & sudore sanguineo perfusa.
4 Dextrum latus cordis crucifixi lancea perforatum.
5 Sinistrum latus cordis vulneratum.
6 Pectus, & totum corpus flagellatum.
7 Manus dextra terebrata.
8 Caput spinis coronatum.
9 Manus sinistra confixa.
10 Cordis medium.

¶ *Sequentes decades quinque, continent diuersa ternaria nominum Dei: quæ licèt per decades sic diuidantur, vt cuilibet membro crucifixi vnum ternarium applicetur: tamen vt memoriæ faciliùs commendentur, & exerceantur, singula cuiuslibet ternarij nomina singulis membris crucifixi sunt ap-*

plicanda, vt hic notatur per numeros singulis nominibus præpositos.

¶ *Decas prima nominum Dei, continens decem ternaria nominum superlatiuorum ad amorem Dei excitantium.*

O Amator

1 { 1 Præsentissime, 2 Intentissime, 3 Promptissime.

2 { 4 Misericordissime, 5 Patientissime, 6 Beneuolentissime.

3 { 7 Placabilissime, 8 Clementissime, 9 Beneficentissime.

4 { 1 Amabilissime, 2 Amantissime, 3 Dilectissime.

5 { 4 Pijssime, 5 Compatientissime, 6 Dulcissime.

6 { 7 Esurientissime, 8 Fortissime, 9 Constantissime.

7 { 1 Opulentissime, 2 Liberalissime, 3 Magnificentissime.

8 { 4 Potentissime, 5 Sapientissime, 6 Sanctissime,

9 { 7 Benignissime, 8 Fidelissime, 9 Certissime.

10 Pro-

10 { 10 Proxime, 11 Inseparabilissime, 12 Charitate plenissime. }

¶ *Quia in Crucis figura decem tantùm membra decem numeris distincta habentur: quando volueris duodecim nomina, vel articulos alios, Cruci applicare (vt fit in his quatuor vltimis ternarijs) tunc pone decimum in dextro latere cordis: vndecimũ in medio: duodecimum in sinistro latere.*

¶ *Decas secunda nominum Dei, continens decem ternaria ad Dei reuerentiam & laudem pertinentia.*

O Deus

Primũ ternarium.

1 { 1 Superdignissime, 2 Superaffabilissime, 3 Superdelitiosissime. }

2 { 4 Superreuerendissime, 5 Superhonorandissime, 6 Superdesiderabilissime. }

3 { 7 Supermaxime, 8 Supergloriosissime, 9 Superoptime. }

4 { 1 Superpræstantissime, 2 Superlucidissime, 3 Superquietissime. }

5 { 4 Superpretiosissime, 5 Superfamiliarissime, 6 Superiucundissime. }

6 { 7 Superexcellentissime, 8 Superuictoriosissime, 9 Superfœlicissime. }

7 { 1 Superiustissime,
2 Superueracissime,
3 Supergratiosissime. }

8 { 4 Superaltissime,
5 Superpulcherrime,
6 Supersuauissime. }

9 { 7 Superutilissime,
8 Superhonestissime,
9 Superdelectabilissime. }

10 { 10 Superfectissime,
11 Superillustrissime,
12 Superbeatissime. }

¶ *Decas tertia nominum Dei, continens decem ternaria beneficiorum Dei erga nos.*

1 { 1 Aeterne præcognitor,
2 Elector, & gratificator,
3 Prædestinator. }

2 { 4 Plasmator corporis,
5 Creator animæ,
6 Assimilator. }

3 { 7 Conseruator,
8 Gubernator,
9 Inspirator. }

4 { 1 Regenerator,
2 Redemptor,
3 Viuificator. }

5 { 4 Purgator,
5 Illuminator,
6 Inflammator. }

6 { 7 Nutritor,
8 Vestitor,
9 Prouisor. }

1 Offenſæ remiſſor,
7 — 2 Pœnæ relaxator,
3 Gratiæ retributor.

4 Eductor,
8 — 5 Vocator,
6 Suſceptor.

7 Pater filio ſuo nos deſponſans,
9 — 8 Sponſe,
9 Dotator, & fœcundator.

10 Defenſor et ſuſceptor in morte,
10 — 11 Suſcitator,
12 Glorificator.

¶ *Tertia Decas nominum Dei, continens decem ternaria officiorum Dei erga nos.*

1 Pater,
1 — 2 Frater,
3 Sanctificator.

4 Iudex,
2 — 5 Aduocate,
6 Iuſtificator.

7 Rex,
3 — 8 Princeps,
9 Rector morum.

1 Domine,
4 — 2 Emmanuel,
3 Amice.

4 Præceptor,
5 — 5 Magiſter,
6 Legifer.

7 Paſtor,
6 — 8 Hoſpes,
9 Viſitator.

7 { 1 Creditor,
2 Fideiussor,
3 Restaurator. }

8 { 4 Protector,
5 Custos,
6 Medice. }

9 { 7 Liberator,
8 IESV Saluator,
9 Pacificator. }

10 { 10 Deus,
11 Homo,
12 Oia cōtinens, & superexcedēs. }

¶ *Decas quinta nominum Dei, continens decem ternaria aliarum Dei dignitatum, & officiorum erga nos.*

1 { 1 Pater misericordiarum,
2 Particeps nostrarū miseriarum,
3 Deus totius consolationis. }

2 { 4 Pater futuri seculi,
5 Comes & dux itineris nostri,
6 Subleuator, & recreator in via. }

3 { 7 Rex perennis gloriæ,
8 Particeps exilij nostri,
9 Paraclete, & consolator. }

4 { 1 Dominator,
2 Ministrator,
3 Amator. }

5 { 4 Instructor,
5 Consultor,
6 Adiutor. }

6 { 7 Imperator,
8 Dux & pugnator,
9 Triumphator. }

7 { 1 Largitor omnium bonorum,
2 Mediator, & Sacerdos,
3 Conſeruator datorum. }

8 { 4 Tutor,
5 Samaritane,
6 Curator. }

9 { 7 Antique dierum,
8 Iuuenis floridiſſime,
9 Zelator caſtiſſime. }

10 { 10 Adoptator,
11 Promiſſor,
12 Redditor. }

¶ *Sequuntur decem decades ſacrorum mediorum: per quæ fiunt obſecrationes ad impetrandum faciliùs quod petitur. Atque inprimis ponitur decas continens decem ternaria perfectionum ſuperſanctiſſimæ Trinitatis.*

Exaudi nos vnitrine Deus per tuam

1 { 1 Fœcunditatem perfectiſſimam,
2 Communicationē liberaliſſimam,
3 Familiaritatem intimam. }

2 { 4 Eſſentialem vnitatem,
5 Perſonalem proprietatem,
6 Societatem iucundiſſimam. }

3 { 7 Sublimitatem incomprehēſibilem,
8 Fœlicitatem glorioſiſſimam,
9 Sanctitatem fontalem. }

4 { 1 Immortalitatem,
2 Incommutabilitatem,
3 Neceſſitatem. }

5 { 4 Primitatem,
5 Nobilitatem,
6 Libertatem.

6 { 7 Coæternitatem,
8 Coæqualitatem,
9 Amicitiam,& germanitatem.

7 { 1 Inſeparabilẽ vnitatẽ,& inexiſtentiã,
2 Intuitionem,& laudem mutuam.
3 Fruitionẽ,& complacẽtiam infinitã.

8 { 4 Aeternitatem incommutabilem,
5 Veritatem infallibilem,
6 Charitatem inæſtimabilem.

9 { 7 Securitatem æternam,
8 Serenitatem clariſſimam,
9 Suauitatem pleniſſimam.

10 { 10 Opulentam indeficientem,
11 Gloriam immarceſſibilem,
12 Beatitudinem conſummatiſſimam.

¶ *Decas ſecunda obſecrationum per qualitates charitatis diuinæ erga nos.*

Exaudi nos Deus per tuam erga nos charitatem

1 Paternam,& æternam,
2 Profundiſſimam & prorſus incomprehenſibilem,
3 Patientiſſimam, & multùm longanimem,
4 Cordialiſſimam,& dulciſſimam,
5 Veracem,& ſapientem,
6 Eſurientiſſimam,& conſtantiſſimam,
7 Liberaliſſimam,& communiſſimam,

8 Supereminentē, nimiam, & extaticam,
9 Singularem, & ſponſalem,
10 Diuinam, & immenſam.

¶ *Decas tertia obſecrationum per feſta Chriſti.*

Exaudi nos Domine IESV Chriſte per tuam

1 Incarnationem,
2 Natiuitatem,
3 Circunciſionem,
4 Apparitionem,
5 Baptiſmum, & tentationem in deſerto,
6 Transfigurationem,
7 Cœnam vltimam, & Euchariſtiæ inſtitutionem.
8 Paſſionem, crucem, & mortem,
9 Reſurrectionem,
10 Aſcenſionem, & Spiritus ſancti miſſionem.

¶ *Decas quarta obſecrationum per fontes Saluatoris, ex ſingulis membris* IESV *Crucifixi, per numeros deſignatis, manantes.*

Exaudi nos Chriſte IESV per

1 Fontem miſericordiæ, & ablutionis.
2 Fontem ſanitatis, & ſanctificationis.
3 Fontem pietatis, & indulgentiæ.
4 Fontem amoris, & obedientiæ.
5 Fontem lachrymarum, & orationis.
6 Fontem feruoris, & fortitudinis.
7 Fontē deuotionis, & bonæ operatiōis.

8 Fon-

8 Fontem ſapientiæ, & contemplationis.
9 Fontem puritatis, & ſanctitatis.
10 Fontē vitæ, diuinitatis, & omnis boni.

¶ *Decas quinta obſecrationum per Sacramenta Eccleſiæ, quæ cùm ſint tantùm ſeptem, hîc vt Decas compleretur, Pœnitentiæ ſacramentum eſt in duos articulos diuiſum, & Miſſæ ſacrificium à Sacramento Euchariſtiæ diuiſim poſitum; & benedictio aquæ, & panis pro ſacramentali, additum, ac numero decimo prænotatum.*

Exaudi nos Chriſte IESV per virtutem

1 Baptiſmi,
2 Contritionis, & abſolutionis ſacrmentalis.
3 Satisfactionis pœnitentialis per eleëmoſynas, ieiunia, & orationes.
4 Sacramenta Euchariſtiæ.
5 Sacrificij Miſſæ.
6 Sacramenti Confirmationis.
7 Sacramenti Ordinis.
8 Sacramenti extremæ vnctionis.
9 Sacramenti Matrimonij.
10 Benedictionis aquæ, & panis.

¶ *Decas ſexta obſecrationum per decem genera paſſionum Chriſti: hîc poſita eo ordine, quo aliarum decadum articulis magis reſpondent, & conueniunt.*

Exaudi nos Chriſte IESV, per ea quæ pro nobis ex nimio amore paſſus es: ſcilicet

1 Per tua opprobria, conuitia, blaſphemias, contemptus, & humiliationes.

2 Per tuas penurias, & indigentias.

3 Per huius exilij pœnalitates, & miserias à te perpessas.

4 Per subiectionem, seruitutem, & ministeria, quæ voluntariè suscepisti.

5 Per tristitias, contritiones, compassiones, & lachrymas tuas.

6 Per flagella, vulnera, & cruciatus.

7 Per nudationes tuas, & singulas tui sanguinis effusiones.

8 Per coronam spineam, & omnium sensuum tuorum afflictiones.

9 Per captiuitatem tuam, vincula, clauos, & crucifixionem.

10 Per crucem, & mortem tuam, ac sepulturam.

¶ *Decas septima obsecrationum per verba à Christo in cruce prolata: quæ hic ponuntur nō eo ordine quo dicta sunt, sed qui sequentibus petitionibus, præsertim orationis Dominicæ magis congruere visus est, quibus etiam aliqua adduntur vt decas compleretur.*

Exaudi nos Christe IESV

1 Per verbum, Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

2 Per internum verbum, quo latronem intus alloquens, & respiciens, conuertisti.

3 Per verbum, Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.

4 Per verbum Consummatum est.

5 Per orationes tuas internas & lachrymosas.

6 Per verbum, Sitio.

7 Per verbum, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt.

8 Per verbum, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti?

9 Per verbum, Mulier ecce filius tuus.

10 Per verbum, Ecce mater tua.

¶ *Decas octaua obsecrationum per festa Beatæ Mariæ virginis.*

Exaudi nos Christe IESV per matris tuæ semper virginis.

1 Conceptionem immaculatam,
2 Natiuitatem, & educationem,
3 Præsentationem & deuotionem in templo.
4 Desponsationem,
5 Annunciationem,
6 Visitationem, & partum,
7 Purificationem, & cohabitationem,
8 Compassionem, & vitam sanctam,
9 Transitum, & glorificationem,
10 Assumptionem, & super omnes Angelos corporalem exaltationem.

¶ *Decas nona obsecrationum per ordines beatorum spirituum.*

Exaudi nos Deus per ministeria, preces, & merita beatorum.

1 *Angelorum,
2 Archangelorum,
3 Principatuum.
4 Potestatum,

5 Virtutum,
6 Dominationum,
7 Thronorum,
8 Cherubin,
9 Seraphin,
10 Beati Michaëlis, & omnium beatorum ſpirituum.

¶ *Decas decima obſecrationum per choros Sanctorum.*

Exaudi nos Deus per preces, exempla, & merita Sanctorum

1 Patriarcharum,
2 Prophetarum, & ſacerdotum,
3 Regum, & Iudicum,
4 Apoſtolorum,
5 Euangeliſtarum, & diſcipulorum,
6 Martyrum,
7 Pontificum, & ſacerdotum;
8 Anachoritarum, & religioſorum,
9 Virginum, & continentium,
10 Beatæ Mariæ, & omnium Sanctorum.

¶ *Sequuntur vndecim decades ſalutarium petitionum, per ſupraſcriptas obſecrationes impetrandarum.*

¶ *Prima decas continet orationem Dominicam, cæterarum poſtulationum fundamentum, & breuem epilogum: cuius aliquæ petitiones, in duas ſunt diuiſæ ad complementum decadis.*

Exaudi nos Deus per prædicta, & da vt

1 Sanctificetur & ametur nomen tuum: ô Pater amantiſſime.

2 Sanctificetur,& timeatur nomen tuum: O iudex metuendissime.

3 Adueniat regnum tuum: O Rex gloriosissime.

4 Fiat voluntas tua in præceptorum tuorum obseruatione: O Domine superdignissime.

3 Fiat voluntas tua, in consiliorum tuorũ Euangelicorum impletione: O magister,& legifer vnice.

6 Panem nostrum quotidianum da nobis hodie;O Pastor bone.

7 Dimitte nobis debita nostra (ô Creditor misericordissime) sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

8 Et ne nos inducas in tentationẽ: O Protector potentissime.

9 Sed libera nos à malo: O liberator benignissime.

10 Amen:Ita fiat sicut confidenter à te expectamus:O Pater ęterne,per IESVM filium tuum,in Spiritu sancto.

¶ *Secunda decas petitionum continens virtutes Theologas & Cardinales.*

Exaudi nos Deus per prædicta sacra media;& infunde nobis.

1 Fidem cordis integram.
2 Fidei confessionem in ore, & opere.
3 Spem certam,& desideriũ cœlestium.
4 Charitatem diuinam.
5 Charitatem fraternam.

6 Fortitudinem.
7 Iustitiam.
8 Temperantiam.
9 Prudentiam.
10 Perseuerantiam.

¶ *Tertia decas petitionum continens præcepta decalogi, quæ hic ponuntur eo ordine, quo aliis petitionibus magis respondent, non eo, quo in decalogo tradita sunt.*

Exaudi nos Deus per sacra media præfata, & fac vt

1 Te vnitrinum Deum, & Dominum adoremus, & tibi soli seruiamus.

2 Nomen tuum nunquam in vanum sumamus; sed tantùm in iudicio veritate, & iustitia.

3 Festa ecclesiæ sanctificemus, & in eis sabbatizemus.

4 Honoremus parentes carnales, & spirituales.

5 Falsum testimonium, aut mendacium nunquam proferamus; sed vera semper loquamur.

6 Nullum occidamus, aut percutiamus; sed mansueti simus ad omnes.

7 Furtum non faciamus, nec alienum retineamus; sed potius nostra largiamur.

8 Non concupiscamus bona aliena; sed pauperes spiritu simus.

9 Nec opere, nec corde vxorem proximi cognoscamus: sed ab omni immunditia,

tia,& impudicitia abſtineamus.

10 Te toto corde,tota mente, tota anima, & ex omnibus viribus diligamus ; & omnem proximum ſicut noſipſos, propter te, & ſecundum te.

¶ *Quarta decas petitionum continens dona Spiritus ſancti: quorum aliqua,in duo ſunt diuiſa, & quædam addita vt decas compleretur.*

Exaudi nos Deus per ſacra media ſupra poſita,& reple nos

1 Spiritu timoris tui reuerentialis,filialis & caſti.
2 Spiritu pietatis,& deuotionis erga te.
3 Spiritu pietatis,& ſuauis affectionis erga proximos.
4 Spiritu amoris tui.
5 Spiritu ſcientiæ.
6 Spiritu fortitudinis.
7 Spiritu conſilij.
8 Spiritu intellectus.
9 Spiritu ſapientiæ.
10 Spiritu gratiæ multiformis.

¶ *Quinta decas petitionum,continens Beatitudines Euangelicas,quibus aliqua ſunt addita, vt decas compleretur.*

Exaudi nos Deus per præfata ſacra media,& fac nos

1 Humiles corde.

2 Pauperes ſpiritu.
3 Mites & manſuetos.
4 Amantes, & obedientes.
5 Lugentes, & compatientes.
6 Eſurientes, & ſitientes iuſtitiam.
7 Miſericordes.
8 Mundicordes.
9 Pacificos,
10 Patientes perſecutionem propter iuſtitiam.

¶ *Sexta decas petitionum continens fructus Spiritus ſancti, quibus aliqua ſunt addita: vnde in duodecim numeros hæc decas excreuit.*

Exaudi nos Deus per præfata ſacra media, & refice nos fructus Spiritus tui: videlicet.

1 Tua laude & gratiarum actione.
2 Noſtri humiliatione, & perfecta abnegatione.
3 Confidenti obſecratione, & integra reſignatione.
4 Charitate & gaudio ſpiritali.
5 Pace, & patientia.
6 Longanimitate, & manſuetudine.
7 Bonitate, & benignitate.
8 Fide, fidelitate, & modeſtia.
9 Continentia & caſtitate.
10 Innocentia, & ſecuritate.
11 Prudentia cordis, & oris ſapientia.
12 Simplicitate, & finali perſeuerantia.

¶ *Septima decas petitionum, continens vota, & exercitia monasticæ Religionis.*

Exaudi nos Deus per præfata sacra media, & fac vt de die in diem fideliùs & deuotiùs reddamus, & seruemus promissam.

1 Stabilitatem.
2 Obedientiam.
3 Conuersionem morum.
4 Officij diuini persolutionem.
5 Orationis mentalis exercitationem.
6 Ieiuniorum abstinentiarum, & aliarum austeritatum ordinis tolerantiam.
7 Paupertatem, & proprij carentiam.
8 Silentium, & cellæ solitudinem.
9 Castitatem mentis, & corporis.
10 Cordis puritatem, & charitatis profectum.

¶ *Octaua decas petitionum, continens virtutes morales.*

Exaudi nos Deus per præfata sacra media; & exorna nos vera.

1 Humilitate.
2 Modestia, & taciturnitate.
3 Patientia, & mansuetudine.
4 Amore tuo: & odio nostri.
5 Dilectione proximi.
6 Strenuitate, & diligentia.
7 Liberalitate.

8 Sobrietate.
9 Pudicitia,& caſtitate.
10 Omni virtute.

¶ *Nona decas petitionum continens vitia capitalia prædictis virtutibus oppoſita.*

Exaudi nos Deus per præfata ſacra media,& purga nos,ac præſerua,ab omni

1 Superbia.
2 Præſumptione,loquacitate,&vana gloria.
3 Impatientia,& ira.
4 Contemptu tui,& noſtri amore vitioſo.
5 Inuidia,& odio proximi.
6 Acedia,& pigritia.
7 Auaritia,& prodigalitate.
8 Gula,& ebrietate.
9 Luxuria,& omni immunditia.
10 Omni vitio,& peccato.

¶ *Decima decas petitionum, continens pœnas inferni eo ordine diſpoſitas, quo magis reſpondent beatitudinibus euangelicis.*

Exaudi nos Deus per præfata ſacra media,& redime nos,ac præſerua à pœnis inferni,videlicet

1 Ab æternis dæmonum inſultationibus; opprobrijs,& confuſionibus,ac ſuperbiæ affectu.

2 Ab insatiabili cupiditate, & omnimoda penuria, & egestate.

3 A continuis, & intolerabilibus pœnis: & summa impatientia, ac furore.

4 Ab odio Dei, voluntate dominandi, & perpetua dæmonum seruitute.

5 Ab inuidia, & odio proximi, continuaque tristitia, fletu, verme conscientiæ, & desperatione.

6 Ab æterna fame, siti, frigore, ponderositate, & infinitis cruciatibus.

7 Ab æterna miseria, igne gehennæ, continuisque blasphemiis, & maledictionibus.

8 A perpetuis tenebris, visu dæmonum horrendo, & omnium sensuũ afflictionibus.

9 Ab æterna discordia, perturbatione, perpetuo carcere, & fœtore.

10 A morte perpetua, carentia beatitudinis, & omnimoda miseria.

¶ *Decas vndecima petitionum, continens præmia paradisi eodem ordine posita, quo prædictæ pœnæ.*

Exaudi nos Deus per præfata sacra media, & perducere tandem nos digneris ad præmia Beatorum, videlicet

1 Ad æternam exaltationem, gloriam, & honorem.

2 Ad indeficientem, & plenissimam opulentiam, & regnum cœlorum.

3 Ad securam possessionem terræ viuentium.

4 Ad perfectam Dei dilectionem & fruitionem, plenumque dominium.

5 Ad sincerã proximi dilectionẽ, congratulationem, plenum gaudium, risum, & iubilum, omniumq; votorum impletionem.

6 Ad æternam satietatem, ebrietatem spiritus, sanitatem, agilitatem, & triumphum.

7 Ad misericordiam sempiternam, continuam gratiarum actionem, & Dei laudem: atque securam diuinitatis tuæ passionem.

8 Ad claram Dei visionem, contemplationem, gloriam, & sensuum omnium clarificationem.

9 Ad filiorum Dei hæreditatem, libertatem, pacem, & diuinitatis beatificam fruitionem, Sanctorumque sacietatem & communionem.

10 Ad vitam æternam, & omnimodam beatitudinem.

Sequuntur quatuor decades Ternariorum super beatissimæ Trinitatis, super quibus debemus eandem Trinitatem adorare, glorificare, & amare, nosque totos eidem offerre in perpetuum obsequium.

¶ Decas prima Ternariorum sanctissimæ Trinitatis.

Te adoro, glorifico, & amo, meque totum tibi offero, ô

1 { 1 Pater ingenite,
2 Fili vnigenite,
3 Spiritus sancte ab vtroq; procedens.

2
- 4 Artifex omnium,
- 5 Ars, & idea summi artificis,
- 6 Amor, & complacentia.

3
- 7 Ex quo omnia,
- 8 Per quem omnia,
- 9 In quo, & propter quem omnia.

4
- 1 Sol iustitiæ,
- 2 Splendor solis æterni,
- 3 Calor solis.

5
- 4 Maiestas omnia intuens,
- 5 Speculum diuinæ maiestatis,
- 6 Gaudium plenum.

6
- 7 Mensura mensurans,
- 8 Numerus omnia numerans,
- 9 Pondus omnia ponderans.

7
- 1 Pater operans,
- 2 Dextera Dei patris,
- 3 Digitus dextræ Dei.

8
- 4 Pater filium osculans, & vngens,
- 5 Fili osculate & vncte,
- 6 Spiritus, osculum, & vnctio.

9
- 7 Pater protegens,
- 8 Brachium patris redimens,
- 9 Virtus obumbrans.

10
- 10 Mens ab æterno intelligens,
- 11 Verbum æternum,
- 12 Amor coæternus.

¶ *Decas secunda ternariorum supersanctißimæ Trinitatis.*

Te adoro, glorifico, & amo, meque totum tibi offero, ô

1.
- 1 Essentia prima,
- 2 Natura perfecta,
- 3 Vita beata.

2.
- 4 Mens inuariabilis,
- 5 Lux inextinguibilis,
- 6 Pax inperturbabilis.

3.
- 7 Stabilitas omnia mouens,
- 8 Aeternitas vbique præsens,
- 9 Simplicitas omnia replens.

4.
- 1 Potentia immensa,
- 2 Sapientia infinita,
- 3 Bonitas incomprehensa.

5.
- 4 Vnitas indiuisibilis,
- 5 Veritas infallibilis,
- 6 Benignitas ineffabilis.

6.
- 7 Immensitas modum dans omnibus,
- 8 Species, & decor vniuersi,
- 9 Ordo suauiter omnia disponens, & vtiliter ordinans.

7.
- 1 Principium primum,
- 2 Imago primi principij,
- 3 Donum primum, & perfectum.

8.
- 4 Altitudo eleuans,
- 5 Pulchritudo alliciens,
- 6 Dulcedo agglutinans.

9.
- 7 Pater luminum,
- 8 Lumen de lumine,
- 9 Iubar ardentissimum.

10.
- 10 Fons æternitatis,
- 11 Plenitudo lucis,
- 12 Multitudo pacis.

¶ *Decas tertia ternariorum supersanctißimæ Trinitatis, angelorum ordinibus respondens.*

Te adoro, glorifico, amo, meque totum tibi offero, ô

1 { 1 Pietas vbique aſſiſtens,
2 Prouidentia omnia diſponens,
3 Benignitas vbique ſuccurrens,

2 { 4 Lux reuelans,
5 Candor lucis æterne,
6 Calor, & amor lucis.

3 { 7 Principium omnia regens,
8 Exemplar primi principij,
9 Finis omnia perficiens.

4 { 1 Poteſtas, hoſtes reprimens,
2 Illuminatio inſidias detegens,
3 Salus, ſecuros ab hoſtibus reddens.

5 { 4 Virtus mira operans,
5 Actus purus, & forma ſimplex,
6 Fructus dulcis in opere conſeruans.

6 { 7 Maieſtas omnibus dominans,
8 Gloria diuinę maieſtatis triumphãs,
9 Diuinitas beatos ſatians.

7 { 1 Aequitas, omnia iuſtè iudicans,
2 Sapiẽtia, ſingulorũ merita diſcernẽs
3 Pax, tranquillè iudicium exercens.

8 { 4 Fons veritatis,
5 Veritas patris,
6 Spiritus, & amor veritatis.

9 { 7 Ignis vrens,
8 Flamma ſemper lucens,
9 Ardor feruens, & accendens.

10 { 10 Subſtãtia ſeparata omnia ſuſtentans,
11 Intelligentia pura omnia illuminãs,
12 Spiritus ſimplex, & ardens, ac ſuccendens.

¶ *Decas quarta Ternariorum sanctissimæ Trinitatis.*

Te adoro, glorifico, amo, meque totum tibi offero

1 { 1 Pater gloriose,
2 Splendor paternæ gloriæ,
3 Delitiæ patris & filij.

2 { 4 Substantia prima,
5 Figura substantiæ patris,
6 Nexus, & vinculum amborum.

3 { 7 Fons bonitatis,
8 Imago diuinæ bonitatis,
9 Communicatio, & communio eiusdem.

4 { 1 Ens primum omnium entium,
2 Verum, primum cognoscibile,
3 Bonum supremum.

5 { 4 Vita viuentium,
5 Sensus omnium sentientium,
6 Operatio omnium operantium.

6 { 7 Abyssus diuinitatis,
8 Lucerna diuinæ charitatis,
9 Saporosa vnio intimæ suauitatis.

7 { 1 Pater ex quo superefluẽtia copiosa,
2 Fili, ad quem allicientia amœnosa,
3 Spũs, per quem influẽtia affectuosa.

8 { 4 Pater clarissime,
5 Facies clara, & vultus patris,
6 Flatus dulcis amborum.

9 { 7 Virtus animarum nostrarum,
8 Lumen oculorum nostrorum,
9 Solatium mentium nostrarum.

10 { 10 Fons vitæ,
11 Viuifici fontis profluuium,
12 Sapor aromatice diuinarum dulcedinum.

Vsus prædictarum decadum per aspirationes, & orationes iaculatorias.

CAPVT V.

OMNI tempore, & loco cum volueris, poteris facilè ex prædictis decadibus formare, & elicere breues & flammigeras aspirationes, & orationes: nam ex nominibus Dei manifestum est tales orationes formari posse; idque in triplici via: Purgatiua scilicet, Illuminatiua, & vnitiua. In purgatiua quidem, ex consideratione diuini nominis, considerando & conferendo tuam vtilitatem, imperfectionem, & ingratitudinem; & orando pro misericordia, & adiutorio tuæ imperfectionis: vt ex consideratione huius nominis Dei, ô PATER, considerans te filium prodigum, & ingratum; obsecra Patrem misericordissimum, vt tui verè prodigi, & miseri filij misereatur, iudicem deprecare; vt tui rei infœlicissimi misereatur: & sic de cæteris. In via illuminatiua, cõsiderando in prædictis nominibus, Dei erga te benignitatem, & beneficentiam, vel diuinam perfectionem; & pro ea gratias agendo eamq; laudando. In via vnitiua, ex singulis nominibus excitando te ad Dei amorem, & vnionem per flãmigeras illas aspirationes.

O vtinam te amarem:ô quando te amabo,tibiq; vniar? ô pater benignissime:ô si te amarem. Eya fac vt te amem. Prædictorũ autem Dei nominum explicatio cum obsecrationibus illis conuenientibus infra ponetur.

Decades aũt obsecrationum exercere poteris dupliciter. Primò super his gratias agẽdo, Deumq; laudãdo. Secundò per sacra media obsecrãdo te, tuasq; petitiones exaudiri.

Decades verò petitionum exercere poteris per simplicem postulationem earum; vel coniungendo eas cũ aliqua obsecratione. In festo autem alicuius sancti: poteris Deo gratias agendo, congratulari sancto, quod per Dei gratiam vitia fugerit, & virtutes sectatus fuerit: & obsecrare ac petere, vt eius imitatione, & intercessione donet tibi Deus similiter vitia deuitare, & virtutes exercere.

Decades nominum supersanctissimæ Trinitatis exercebis, super his vnitrinũ Deum adorando, glorificando, amando: eiq; per congratulationem, & fruitionem adhærendo. Sicut infrà diffusiùs explicabitur.

Modus vtendi prædictis decadibus in diuino officio, quoties dicitur (GLORIA PATRI) *aut similes versus.*

CATVT VI.

VErsus (Gloria Patri) quem Ecclesia cõstituit dici in fine singulorum Psalmorum & hymnorum, magnæ est efficaciæ: in quo nimirùm totus Psalmus. aut hym

nus decantatus, Deo in laudem, & gloriã offertur; imò & ipse qui psalmum dicit, seipsũ Deo offert in laudem perpetuam. Est autem huius versus hic sensus, (GLORIA) hoc est, clara laus, amor & obsequiũ, sit Deo vnitrino. PATRI, ET FILIO, ET SPIRITVI SANCTO, SICVT ERAT IN PRINCIPIO æternitatis ab ipsa Trinitate (quæ in seipsa, & à seipsa ab æterno gloriam infinitam habuit:) & à PRINCIPIO creationis, à beatis Angelis, qui statim post sui creationem, tanquam astra matutina Deum laudare cœperunt; & à Sanctis, qui nos præcesserunt, & iam in cœlo constituti, Deum continuè laudant: Sic etiam ET NVNC, sit à nobis, & omnibus qui in hac Ecclesia militante adhuc viuunt: ET SEMPER, vsque ad consummationem seculi, ab his qui post nos victuri sunt: ET post generale iudicium, IN SECVLA æterna, SECVLORVM temporalium completiua, ab omnibus simul angelis, & sanctis beatis, AMEN. Ita quæso fiat benignissime IESV, sicut amanter, & confidenter petimus, per suauissimum cor, & Spiritum tuum, organum Trinitatis dulcissimum. Cùm ergo iste versus tam fœcundum sensum contineat, & sit applicatio & oblatio totius Psalmi, debemus semper speciali deuotione, & attentione illum decantare. Ad quod nos multum iuuabit; si singulis (GLORIA PATRI) singula ternaria decadum prædictarum applicemus. Porrò ternaria nominum Dei, sic sunt applicanda sub (Gloria Patri.)

Gloria Patri,

1 Præſentiſſimo,
2 Superdigniſſimo,
3 Miſericordiarum Patri,
4 Aeterno præcognitori,
5 Noſtro cœleſti parenti.

Et Filio,

1 Intentiſſimo,
2 Superaffabiliſſimo,
3 Miſeriarum noſtrarum participi,
4 Electori,
5 Noſtro fratri.

Et Spiritui ſancto.

1 Promptiſſimo,
2 Superdelitioſiſſimo,
3 Deo totius conſolationis,
4 Prædeſtinatori,
5 Sanctificatori.

Sicq; de cæteris ternarijs nominum Dei, ſingula eorum ſic applicando tribus perſonis ſub(GLORIA PATRI) quoties verſus ille repetitur.

Sub verſu etiam (SICVT ERAT IN PRINCIPIO)poſſes aliud ternarium meditari,& applicare hoc modo:ſit inquam,Gloria Patri,& Filio,& Spiritui ſancto.

Sicut erat in principio,

Tibi ô pater
1 Miſericordiſſime.

3 Reue-

3 Reuerendiſſime,
4 Plaſmator.

Et nunc, & ſemper,
Tibi ô Fili,
1 Patientiſſime,
3 Honorandiſſime,
4 Creator.

Et in ſecula ſeculorum,
Tibi ô Spiritus
1 Beneuolentiſſime,
3 Deſiderabiliſſime,
4 Aſſimilator.

Et ſic de cæteris; quod in Pſalmodia publica (quæ attractiùs cantatur) facilè obſeruabis, ſi ſtudium apponere volueris: quamquam ſolus illius verſiculi ſimplex ſenſus, ſatis te poſſit occupare, ſi aliud obiectum aſſumere nolueris. Qui autem ſubtiliori, & magis actiuo ſunt ingenio: indigent pluribus obiectis, vt occupentur, & ſuæ deuotioni ſatisfaciant.

Decades ternariorum, per conditiones superſanctiſſimæ Trinitatis ſimiliter applicabis, ſub (GLORIA PATRI) ſingula earum ternaria ſub ſingulis verſibus, meditando hoc modo:

Gloria Patri,
1 Pro fœcunditate perfectiſſima.
2 Pro eſſentiali vnitate.

Et Filio,

1 Pro liberalissima communicatione.
3 Pro personali proprietate.

Et Spiritui sancto.

1 Pro intima familiaritate,
2 Pro dulcissima societate.

Et sic de cæteris illis Ternarijs.

Ceteras decades obsecrationum poteris sub (GLORIA PATRI) meditari, applicando singulis versibus tres articulos, seu numeros illarum decadum, hoc modo:

Gloria Patri sit,

1 Pro charitate paterna.
2 Pro incarnatione.

Et Filio,

1 Pro charitate profunda.
2 Pro Natiuitate.

Et Spiritui sancto.

1 Pro charitate longanimi.
2 Pro Circuncisione.

Et sic de cæteris obsecrationibus.
vel hoc modo:

GLORIA PATRI, qui misereatur nostri per charitatem suam paternam.

GLORIA FILIO, qui misereatur nostri per profundam suam charitatem.

ET SPIRITVI SANCTO, qui misereatur nostri, per longanimem suam charitatem.

Decades etiam petitionum sub (GLORIA PATRI) *meditaberis, applicando singulis versibus tres articulos, seu numeros illarum, hoc modo:*

Gloria Patri,

Qui faciat nos nomen suum paternum agnoscere, & sanctificare.
Qui det nobis fidem cordis.
Qui faciat nos se Deum solum adorare.

Et Filio,

Qui faciat nos se iudicem omnium agnoscere, & timere.
Qui det nobis fidei confessionem.
Qui faciat nos nomē suum nunquam in vanum assumere.

Et Spiritui sancto.

Cuius adueniat regnum.
Qui det nobis spem.
Qui faciat nos sabbata sanctificare.

Decades nominū supersanctissimæ Trinitatis sub (GLORIA PATRI) *meditaberis, singula earum ternaria singulis versibus applicando, hoc modo:*

Gloria Patri,

Ingenito filium generanti.

Essentiæ primæ,
Pietati assistenti,
Gloriæ perennis.

Et Filio,

Vnigenito,
Naturæ naturanti,
Prouidentiæ,
Splendori paternæ gloriæ.

Et Spiritui sancto,

Ab vtroque procedenti,
Vitæ beatæ,
Benignitati,
Delitiis Patris, & Filij.

De alio vsu Decadum prædictarum, sub Psalmodia & vocali cantu.

CAPVT VII.

INTER *psallendum, & cantandum, poteris etiam vti prædictis Decadibus. Nam quoties occurrerit nomen Domini, vel Dei, vel eius relatiuum, poteris mentaliter illi addere, & cogitare aliud nomen Dei ex his, quæ in prædictis decadibus habentur, quod occurrerit in eodem numero, seu membro Crucifixi, quod tangis. Ad quod vtile erit in vno Psalmo, decem vel nouem Dei nomina membris crucifixi applicata assumere recogitanda suis locis, quoties occurrerit nomen Dei, vel eius relatiuum. Si Psalmus sit prolixior, poteris duas*

vel tres decades nominum, alias post alias recogitare sub nominibus Dei. In alio Psalmo assume alium decadē nominum, & sic consequēter. In singulis Psalmis varias nominum decades ruminandas suis locis assume, donec omnia nomina, quæ memoriæ commendasti, sic recogitaueris. Quæ si non suffecerint pro omnibus Psalmis, incipe rursum à prima decade, & prosequere vsque ad finem Psalmodiæ. Verbi gratia, sub Psalmo (De profundis) si volueris recogitare tria prima ternaria primæ decadis ternariorum nominum Dei, quæ continent nouem nomina, sic ea applicabis.

1 De profundis clamaui ad te Domine, PRAESENTISSIME.

2 Domine INTENTISSIME, exaudi vocem meam.

3 Fiant aures tuæ (ô PROMPTISSIME Deus) intendentes,

4 In vocem deprecationis meæ, ad te MISERICORDISSIMVM fusæ.

5 Si iniquitates obseruaueris domine, PATIENTISSIME.

6 Domine BENEVOLENTISSIME quis sustinebit.

7 Quia apud te PLACABILISSIMVM propitiatio est;

8 Et propter legem tuam, sustinui te domine INDVLGENTISSME.

9 Sustinuit anima mea in verbo eius BENEFICENTISSIMI:

° Sperauit anima in Domino IESV.

¶ *Quia nomina Dei per ternaria distincta, non possunt conuenienter applicari decimo numero, seu membro*

crucifixi ne diuidantur; ideo huic decimo numero, applica semper nomen (IESV) quod etiam fructuosissimè posses mente reuoluere, quoties nomen Dei nominatur, si aliud nomen tibi non occurrat.

Deinde prosequens Psalmum (De profundis) iterum ab initio repete nomina, quæ iam commemorasti, hoc modo:

1 A custodia matutina, vsque ad noctem,

2 Speret Israël in Domino, INTENTISSIMO.

3 Quia apud Dominum PROMPTISSIMVM misericordia.

4 Et copiosa apud eum MISERICORDISSIMVM redemptio.

5 Et ipse PATIENTISSIMVS redimet Israël.

6 Ex omnibus iniquitatibus.

¶ *Hic aduerte, quòd in distinctionibus versuum in quibus non nominatur Deus, vel relatiuum eius, non est necesse recogitare aliquod nomen Dei, ne hoc impediat attentionem ad sensum sententiæ: vel grauetur mens, & caput, si vtrumque attendatur. Sic in primo, & sexto numero postremorum huius Psalmi versuum nullum est nomen appositum. Veruntamen hi qui alacriori, & acutiori sunt ingenio: & promptè tenent memoriter Psalmōdiam, & nomina applicanda: si non possunt ex ipsis Psalmodiæ verbis, & sententijs, deuotam aspirationem assumere: poterunt ad singulas distinctiones psalmodiæ, vnum nomen DEI per modum bre-*

uis

uis aspirationis recolere, quando in choro canunt, cum grauitate, & debita pausa: & hoc vel dum cantatur vna distinctio, vel statim post eam cantatam dum fit pausa: modo qui sequitur.

Vt si sub Psalmo (Beatus vir) velis recogitare prædicta decem nomina (PRAESENTISSIME, INTENTISSIME, &c.) sic dices:

1 Beatus vir (ô præsentissime Deus) qui non abiit in consilio impiorum.

2 Et in via peccatorum (ô intentissime) non stetit.

3 Et in cathedra pestilentiæ (ô promptissime) non sedit.

4 Sed in lege Domini (ô misericordissime) voluntas eius.

5 Et in lege eius (ô patientissime) meditabitur die, ac nocte.

¶ *Sic interserens nomen Dei in medio sententiæ, eleuas mentem tuam: vt præsentiam Dei sentiat, et coram Deo psallat, imò ei colloquatur.*

6 Et erit (ô beneuolentissime) tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum.

7 Quod fructum suum dabit (ô placabilissime) in tempore suo.

8 Et folium eius (ô clementissime) non defluet.

9 Et omnia quæcunque faciet (ô beneficentissime) prosperabuntur.

¶ *Si volueris, prosequendo eundem Psalmum, alia nomina Dei sequentia recogitare, sic dices:*

1 Non sic impij (ô amabilissime) non sic.

2 Sed tanquam puluis, quem (ô amantissime) proiicit ventus à facie terræ.

3 Ideò nō resurgunt (ô dilectissime) impij in iudicio.

4 Neque peccatores (ô piissime) in consilio iustorum.

5 Quoniam nouit dominus (compatiētissimus) viam iustorum.

6 Et iter impiorum (ô dulcissime) peribit.

¶ ***Si magis tibi arriserit, poteris hæc nomina non in medio sententiæ, seu distinctionis, sed post ipsam distinctionem breuiter recolere, vel etiam ante.***

Si tibi fuerit nimis difficile, aut onerosum, ad singulas distinctiones versuum, vnum nomen recogitare: poteris id facere ad singulos duntaxat versus; aut etiam tantùm sub versu, qui ab alio choro cantatur. Sed tunc debebis nomina Dei recogitare, incipiendo ab vno nomine vnius decadis, & prosequendo donec illam decadem finieris: eaque absoluta aliam similiter (si opus fuerit) assumes. Sic autem faciens, non recogitabis nomina illa, quæ occurrent in eodem crucifixi membro, in quo versus Psalmi canitur; sed prosequeris illa iuxta ordinē, quo sunt per decades mēbris crucifixi applicata; sic vt

cum

cum in vno versu primum nomen alicuius decadis recogitaueris; in secundo versu secundum recogites: in tertio tertium, & sic de cæteris. Et nihilominùs distinctiones singulorum versuum singulas, applicabis singulis membris crucifixi, pro maiori attentione ad sensum literæ. Ad quod necesse erit, vt probè memoria teneas, & ipsam psalmodiam, & nomina applicanda.

Qui non intelligunt psalmodiam, & vix possunt ex eius verbis elicere deuotos affectus, poterunt vnum versum integrum dicere sub vno membro crucifixi, & interim meditari vnum nomen sub eodem membro positum, atque ex eo aspirationem dulcem, vel obsecrationem elicere.

Qui etiam rudiori fuerint ingenio, poterunt duos versus applicare vnico membro, & dum ab alio choro versus canitur, recogitare vnum nomen eidem membro applicatum.

Denique quilibet pro sui ingenij capacitate, conetur hoc vel illo modo sub ipsa psalmodia, non solùm attentionem habere, sed aliquos deuotos affectus elicere, per aliqua Dei nomina amabilia, aut per aliquas obsecrationes, vel petitiões salutares. Sicut enim dictum est posse inter psallendum nomina Dei ruminari: sic etiam obsecrationes & petitionum decades psallendo possunt vtiliter recogitari. NAM QVOTIES petis in psalmodia orationem tuam exaudiri nihil determinatè petendo (quod sæpè contigit) vt in his (VERBA MEA AVRIBVS PERCI-

1. *Qualiter decades obsecrationũ et petitionũ posſũt psallendo recogitari.*

PE: INTELLIGE CLAMOREM MEVM) item (DOMINE EXAVDI ORAIONEM MEAM, &c.) tunc fructuosè potes recogitare aliquam obſecrationem, ſeu ſacrum medium, per quod exaudiaris: vel aliquam ſalutarem petitionem ſpecialiter petere, puta virtutem aliquam, aut donum Spiritus ſancti, aut quid ſimile, quòd occurrerit in eo Crucifixi membro quod tangis.

Ad quod vtile erit in vno pſalmo decem obſecrationes, aut petitiones recogitandas aſſumere, in alio pſalmo alias, ſicut dictum eſt de nominibus Dei.

Verbi gratia, ſi volueris in pſalmo (de profundis) petere Euangelicas beatitudines, ſic eas applicabis.

1 De profundis clamaui ad te Domine, PRO HVMILITATE cordis obtinenda.

2 Domine exaudi orationem meam, faciens me PAVPEREM ſpiritu.

Fiant aures tuæ intendentes, vt facias nos MITES.

4 In vocē deprecationis meæ, pro OBEDIENTIA obtinenda.

5 Si iniquitates, & DVRITIAM CORDIS NOSTRI, obſeruaueris domine, LVGENTIVM CONSOLATOR.

6 Domine ESVRIENTISSIME, quis ſuſtinebit POENAS TEPIDITATIBVS NOSTRIS DEBITAS.

7 Quia apud te propitiatio eſt quam MISERICORDIBVS impertiris.

8 Et propter legem tuam, MVNDITIAE

COR-

CORDIS, ſuſtinui te Domine MVNDISSIME.

9 Suſtinuit anima mea in verbo eius, quo PACIFICOS, Filios Dei vocari dixit.

10 Sperauit anima mea in Domino, qui PERSECVTIONEM patientes coronat.

Quando autem volueris ſic recogitare petitiones, nõ debebis ſimul recogitare peculiaria Dei omina: ne graueris, & caput debilites, & plura amplectens minùs afficiaris.

Si volueris recogitare decadem obſecrationum per feſta B. Virginis, ſic eam applicabis ſub eodem pſalmo.

1 De profundis clamaui ad te Domine, (per CONCEPTIONEM B. Mariæ petens exaudiri.

2 Domine exaudi orationem meam, (per eius NATIVITATEM.

3 Fiant aures tuæ intendentes, (per eius PRAESENTATIONEM.

4 In voce deprecationis meæ (per eius DESPONSATIONEM.

5 Si iniquitates obſeruaueris Domine, (in ANNVNTIATIONE incarnate.

6 Domine quis ſuſtinebit? certè nullus, ſed per VISITATIONEM matris miſerere noſtri.

7 Quia apud te propitiatio eſt, quam per PVRIFICATIONEM nobis largiaris.

8 Et propter legem tuam ſuſtinui te Do-

mine, expectans per compassionem matris exaudiri.

9 Sustinuit anima mea in verbo eius, credens liberari per matris TRANSITVM.

10 Sperauit anima mea in domino, gratiam, & gloriam obtinere per matris ASSVMPTIONEM.

Considerare autem debebis, quæ decades singulis psalmis magis conueniant, & faciliùs illis applicentur, & illas assumere semper: vt sic stabilem attentionem acquiras; quam vix posses acquirere, si indifferẽter ad singulos psalmos decades ruminares; & insuper maiorem difficultatem in hoc inuenires, quæ te tandem grauare, & in fastidium adducere posset.

Sic in Cantico (Benedicite omnia opera, &c.) erunt assumendæ decades nominũ Dei, quia faciliùs ad singulas distinctiones versuum applicãtur nomini domini, quod semper repetitur in singulis.

Sic in primis versibus (MISRERE MEI DEVS) *vtiliter poteris orare pro singulis vitijs extirpandis, quia hoc sensui eiusdem psalmi magis conuenit. Sic igitur poteris dicere.*

1 Miserere mei Deus, purgans me à SVPERBIA.

2 Secundùm magnam misericordiam tuam, (liberans me à IACTANTIA.

3 Et secundùm multitudinem miserationum tuarum) IMPATIENTIAM meam multiplicem tolle.

4 Dele iniquitatem meam, PRIVATVM AMOREM, & propriam voluntatem.

5 Ampliùs laua me ab iniquitate, & INVIDIA mea.

6 Et à peccato meo, ACEDIAE, munda me.

7 Quoniam iniquitatẽ, & AVARITIAM meam ego cognoſco.

8 Et peccatũ meum, GVLAE & INTEMPERANTIAE, contra me, &c.

9 Tibi ſoli peccaui, per LVXVRIAM & IMMVNDITIAM.

10 Et malum coram te feci, per INFINITA alia vitia.

Sub Pſalmo (Beati IMMACVLATI IN VIA,) *in quo ferè per ſingulas diſtinctiones occurrit aliquod ex his verbis, Lex, iuſtificatio, mandata, via, teſtimonia, & ſimilia, quæ ſignificant Dei iuſſa, vel conſilia, poteris decadem beatitudinum, aut virtutum, vel decalogi præcepta aut vota Religionis recogitare: vtiliùs tamen, & faciliùs beatitudines applicantur, hoc modo.*

1 Beati immaculati in via HVMILITATIS, vel HVMILES corde.

2 Qui ambulãt in lege domini PAVPERTATIS, vel PAVPERES ſpiritu.

3 Beati qui ſcrutantur teſtimonia eius, ad hoc vt ſint MITES.

4 In toto corde exquirũt eum, per OBEDIENTIAM perfectam.

5 Non enim qui operantur iniquitatem, lætantes cùm malefecerint.

6 In vijs eius, ESVRIENTES IVSTITIAM ambulauerunt.

7 Tu mandasti, MISERICORDES nos esse.

8 Mandata tua, MVNDITIAE cordis, custodiri nimis.

9 Vtinam dirigantur viæ meæ, vt sim PACIFICVS.

10 Ad custodiendas iustificationes, PATIENDO PROPTER IVSTITIAM.

In primis versibus psalmi (LAVDATE DOMINVM DE COELIS) *conuenienter recogitare, & inuocare poteris singulos Angelorum ordines, referendo singulas distinctiones versuum, & applicando ad ea membra crucifixi, in quibus singuli ordines Angelorum sunt applicati, modo sequenti.*

2 Laudate Dominum de cœlis, ô ARCHANGELI.

3 Laudate Dominum in excelsis, ô PRINCIPATVS.

4 Laudate Dominum omnes ANGELI eius.

5 Laudate eum omnes VIRTVTES eius.

6 Laudate eum (SERAPHIN accendentem) sol & luna.

7 Laudate eum (CHERVBIN illuminantem,) omnes stellæ, & lumen.

8 Laudate eum cœli, seu THRONI cœlorum inhabitatores.

9 Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen domini DOMINATIONVM.

4 Quia ipſe dixit,& facta ſunt, POTESTATVM agmina.

10 Ipſe mandauit, & creata ſunt, omnia cœleſtia,& terreſtria.

Hîc vides tertiam diſtinctionem,eſſe primo numero,ſeu pedi dextro applicatam, & quartam quinto:quia Angeli, & virtutes,qui in illis nominãtur,in primo,& quinto membro crucifixi applicata inueniuntur in decade Angelorum.

Sic fructuosè poteris aliquando variare, & tranſponere aliquas diſtinctiones verſuũ, quando id expediet, vt commodiùs applicentur nominibus, vel obſecrationibus, aut petitionibus occurrentibus in decade quamvis recogitar: Sed hoc dictum ſit iam exercitatis in vſu huius Pſalterij decachordi. Noui enim Tyrones debebunt ordinatè applicare ſingulas diſtinctiones ſingulis membris prout ſunt in cruce ſuis numeris diſtinctæ; vt ſic faciliùs ſuam memoriam, &attentionem ſtabiliant.

¶ *Modus eliciendi deuotos affectus ex ipſius pſalmodiæ verbis.*

Cæterùm his qui intelligunt ſenſum verborum pſalmodiæ conſultius eſt, & vtilius ex ipſis verbis pſalmodiæ affectum trahere, & circa ipſorum verborum ſenſuum occupari, qũam eo omiſſo alia obiecta aſſumere; eo quòd talis attentio ſit facilior, & ſtabilior. hinc eſt quod in vſu, & exercitio prædicti pſalterij decachordi, monuimus attenden-

dum

dum potiùs esse ad sensum psalmodiæ, quam ad membra crucifixi, quibus applicatur ipsa psalmodia, vt autem ex singulis psalmodiæ sententijs, affectum aliquem deuotum faciliùs possis elicere, quæ sequuntur diligenter aduerte, & exercere curato.

In primis igitur dum psallere vis, indue personam totius Ecclesiæ triumphantis, & militantis: orás ex affectu beatæ MARIAE, Beatorum Angelorum, sanctorumq; omniũ, & animarum purgandarum, omniumque fidelium viuentium: pro omnium salute, & maximè pro his, pro quibus Deus vult te specialiùs orare, aut tu magis teneris, vel intendis. Sic enim charitatem implebis, & aliorum meritis peculiariùs participabis: totq; habebis cõtra aduersarios, auxiliatores, quot sunt membra Ecclesiæ pro quibus oras, aut ex quorum affectu oras. Plus quoq; sic orando mereberis, quia ex D. Chrysostomi sententia, si pro te solo oras, solus mereris; Si pro omnibus, particeps efficeris meritorum omnium, pro quibus oras. Prætereà ex singulis psalmodiæ sententijs, quantum potes, studeto elicere aliquam petitionem, aut Dei laudem, conuertens ad Deum semper tuum desiderium, per internum quoddam colloquiũ potiùs quàm per soliloquium. Sic enim affectus tuus magis inflãmabitur, & intellectus plus illustrabitur.

Quando Dei laudes commemoras, congratulare Deo super his: verbi gratia dum cantas (magnus dominus & laudabilis nimis;) sic in mente tua dic, Congratulor tibi

Domine, quia verè magnus es, & laudabilis.

Quando dicitur in psalmis, cantate Domino, Iubilate Domino, laudate Dominum, & similia, desidera vt omnes tecum cantent, laudent, & iubilent ad honorem Dei. Quando autem inuitas Angelos aut Sanctos ad Dei laudem (vt in Psalmo, laudate Dominum de cœlis:) desidera vt ipsi beati Angeli, & Sancti, tecum Deum laudantes, sua continua, & perfectissima laude suppleant imperfectum tuum in Dei laude.

Quando narrantur aliqua à Deo mirabiliter, aut vtiliter facta, Deum de præteritis laudans, ora & desidera vt hæc spiritualiter adhuc impleat: vt cum psallis, (Saluauit sibi dextera eius) desidera vt nunc etiam dextera Dei saluet genus humanum.

Quando viri iusti laudes commemoras; desidera tibi, & aliis eas donari; Quando narras peccatorum malitias, vel persecutiones: desidera eas reprimi, corrigi, & deleri, teque & alios ab eis præseruari, & liberari.

Quando miseriæ, aut pœnæ malorum narrantur: desiderate, & alios ab his præseruari, & per has à peccatis deterreri. Verbi gratia; dum cantas psalmum primum, in quo describuntur laudes beati, & iusti viri, & pœnæ impiorum, sic elice deuotas aspirationes ex verbi eiusdem psalmi. 7 *Qualiter ex verbis psalmi trahuntur aspirationes*

1 Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, ô Deus da vt non abeam in consilio impiorum.

2 Et in via peccatorum non stetit; NON STEM in via peccatorum.

3 Et in cathedra peſtilentiæ nõ ſedit; non SEDEAM.

4 Sed in lege Domini voluntas eius; SIT IN lege domine voluntas mea.

5 Et in lege eius meditabitur die, ac nocte MEDITER in tua lege Deus.

6 Et erit tanquam lignum quod plantatum eſt ſuper aquas; PLANTA me ſuper aquas.

7 Quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo; DEM FRVCTVM in tempore oportuno.

8 Et folium eius non defluet; non DEFLVAT folium meum.

9 Et omnia quæcunque faciet proſperabuntur; PROSPERENTVR omnia quæ fecero.

1 Non ſic impij, non ſic; NON SIM impiis ſimilis.

2 Sed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ, NON SIM puluis ne proiiciar à facie terræ.

3 Ideo non reſurgunt impij in iudicio; RESVRGAM in iudicio.

4 Neque peccatores in cõſilio iuſtorum, NVMERER in congratione iuſtorum.

5 Quoniam nouit dominus viam iuſtorũ fac ME IVSTVM, & agnoſce viam meam.

6 Et iter impiorum peribit, FVGIAM ITER impiorum ne peream.

Quando bona præterita, vel futura pſallendo enuncias, deſidera vt ea nunc efficaciter in te, & in aliis impleantur, quantũ poteſt & expedit fieri. Cùm narras aliquod beneficium

cium tibi, vel aliis à Deo impensum,: gratias agens de præterito, ora confidenter pro futuro.

Quando nomen Dei in psalmodia occurrit, adde aliquod superlatiuum laudis, aut aliud Epitheton laudabile, vt dicens (Ad te domine leuaui animam meam) adde mentaliter, (domine præsentissime, vel benignissime, vel misericordiarum pater (& sic de cæteris vt iam est declaratum.

Quando tuam personam commemoras: adde aliquod Epitheton humilitatis, vel miseriæ & indigentiæ tuæ: vt dum dicis (miserere mei Deus) ad MISERRIMI PECCATORIS.

Quando psalmus hortatur ad aliquod piũ desidera vt hoc in te, vel in aliis fiat, vt dum dicitur (& nunc Reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram) ora vt Reges intelligãt, & iudices erudiantur.

Cùm psallens dicis te aliquod boni fecisse, vt illud (in toto corde meo exquisiui te) & similia: Si non sis conscius te ista fecisse, desidera & pete, vt hoc facias. Si id te fecisse conscientia teste recolis: pro hoc humiliter gratias age: vtq; in eo perseueres desidera & ora.

Quando aliqua de Christo capite dicuntur, vt illud (ego dormiui & soporatus sum, &c. Christum laudans, desidera ei conformari, cum eo commori, consepeliri, consurgere & cõscendere.

Cùm dicis (tu autem domine susceptor meus es, gloria mea, &c.) confidenter pete, vt te suscipiat, glorificet, & exaltet.

Quan-

Quando dicis(Domini est salus, & super populum tuum benedictio tua) desidera, & ora vt dominus saluum faciat populum suũ, & benedicat hæreditati suæ.

Denique, quantum poteris, conare ex singulis non solum psalmodiæ versibus, sed etiã ex singulis versuum sentẽtiis, seu distinctionibus aliquam petitionem, aut laudem mentaliter elicere, & per desiderium Deo offerre: prout multo diffusiùs, & perfectiùs vnctio Spiritus te docebit: si tu tantummodo, piũ, humile, & continuum ad hoc studium adhibueris, absque nimio impetu, & violentiori conatu, cum spirituali gaudio, & placida serenitate, ac libertate mentis. Vitare enim debes inter psallendum nimiam violẽtiam, anxietatem, & tædium ac fastidium, quantum domino donante potes, & ad lætitiam spiritualem per dulcem, & amorosam ad Deum conuersionem te semper excitare. Sic enim non grauaberis; & attentior, ac deuotior semper reddêris. Vt autem quæ dicta sunt de eliciendis affectibus per ipsius psalmodiæ verbis faciliùs perficias, & exerceas: perlege semel attentè, & studiosè aliquam piam, & breuem expositionem psalmorum (qualis videtur esse ea, quæ per Ludolphum Carthusiensem est compilata, & per Raynerium postea breuius comprehensa) & ex ea expositione disce aliquem deuotum sensum tam breuẽ vt possis illum mente cõcipere, interim dum verba psalmodiæ profers, aut cantas. Porrò moralis sensus ad eliciendos affectus est aptior, propterea vtile erit moralem sensum in

psalmis frequentiùs, & attentiùs considerare. Quando verò non poteris ex psalmodiæ deuotum affectum trahere: recurre ad applicationem decadum præfatarum modo suprà declarato.

¶ *Modus vtendi prædictis Decadibus sub aliis, quæ cantantur in choro extra Psalmodiam.*

Quoties occurrit in cantu Missæ, vel Responsoriorum, vel Antiphonarum, & cæterorum quæ in Ecclesia cantantur, nomen (domini,) vel (Dei) aut relatiuum eius, vel (Alleluia:) mente recogita, & subintellige aliquod nomen Dei: incipiens à primo nomine decadis illius quam voles ruminare, & illud applicans primo nomini quod occurret: secundo: tertium, tertio: & sic continuans, donec perfeceris decadem vnam nominũ, qua perfecta, aliam similiter meditare.

Ad singula inuitatoria, quæ initio matutinarum cum psalmo (venite adoremus) dicuntur: assume singula Dei nomina: & inuita singulos ordines Angelorum, & Sanctorum.

Verbi gratia, ad primum inuitatoriũ dic, O Angeli, & Patriarchæ venite adoremus Dominum pręsentissimum. Ad secũdum dic, O Archangeli & Prophetæ venite adoremus Dominum intentissimum, & sic de cæteris. Et qũia tantum octo vicibus repetitur inuitatorium: post (Gloria patri) dicens, (Sicut erat) inuita Thronos, & Pontifices, vt tecũ laudent Dominum talem.

Quoties cantas (Kyrie eleiſon & Chriſte eleiſon) nouem vicibus: recogita nouem nomina Dei; dicens (O talis miſerere mei:) vel obſecrationes nouem, dicens miſerere mei per hoc: vel pete nouē virtutes, aut alias petitiones.

Et quando attractius cantatur (Kyrie eleiſon) vt fit in Miſſa, præſertim in ſolennitatibus, tot aſſume nomina, vel obſecrationes vel poſtulationes ſub quolibet Kyrie eleiſon, quot opus habebis pro tuo intellectu occupando.

Quando Litania dicitur, ad primas ſupplicationes, quæ Deo offeruntur: recogita nomina Dei, ad ſingulorum Sanctorum inuocationem: pete aliquam virtutem, aut donum Spiritus, vel alias petitiones iuxta ordinem, qui habetur in decadibus petitionum.

Verbi gratia: Sancte Petre ora pro nobis impetra fidem cordis. Sancte Paule ora pro nobis, & impetra fidem oris, & operis, &c. & ſic de cæteris.

Quoties in his quæ cantantur petis exaudiri, nihil determinatè petens: poſtula aliquam petitionem: aſſumens ordinatè petitiones vnius decadis, deinde alterius. Vel pete exaudiri per aliquam obſecrationem.

Denique infinitis aliquis modis vnctio Spiritus docebit te ex prædictis decadibus aliquid applicare, & meditari ſub diuino officio canonico: prçſertim quando cū grauitate & debita pauſa cantatur: dummodo ſtudueris eaſdem decades membris crucifixi applicatas promptè, & ſtabiliter memoriæ com-

mendare; & vsu deuoto Psalterium Decachordum supra explicatum frequentare.

Vsus decadum prædictarum, pro Rosariis dicendis, & pro exercitio laudis erga beatam Virginem Dei genitricem.

CAPVT VIII.

POTERIS *etiam his decadibus vti pro dicendis deuotius Rosariis Beatæ Virginis, quæ ex 25. Angelicis salutationibus, & quinque Dominicis orationibus constant: si igitur singulis Angelicis salutationibus volueris in fine addere vnum articulum decadum prædictarum: ex quinque decadibus perficies vnum Rosarium: addendo post, vel ante singulas decades, vnum (Pater noster) ad vnum ex quinque vulneribus Domini: Nec indigebis materiali rosario, seu patriloquio, quia per decem mēbra crucifixi in tua manu (sicut est dictum) descripta, facilè distingues (Aue Maria) & illis applicabis decem articulos alicuius decadis per eadem membra in tua manu distinctos, & memoriæ commendatos, sic etiam multò deuotius, & attentiùs dices huiusmodi rosaria: quia post singula (Aue* MARIA) *applicans & meditans vnum articulum decadis: attentionem tuam, & deuotionem excitabis, & renouabis. Vtiliter nihilominus deferes Rosarium materiale, ad honorem Beatæ Virginis, & proximorum ædificationem: licet eo non vtaris, sed tuo Chiropsalterio pro dicendis Rosariis.*

Nam & indulgentiæ concessæ sunt his, qui pia deuotione ad honorem B. Virginis Rosarium materiale deferũt; & hoc signo se eius veneratores deuotos profitentur. Sic autem applicabis decades prædictas ad salutationẽ Angelicam pro Rosariis persoluendis.

Decades nominum Dei superlatiuorum, & substantiuorum applicabis in fine cuiuslibet (Aue Maria) post hæc verba IESVS CHRISTVS, *addendo ore, vel sola mente vnum ex illis nominibus, vel si volueris vnum ternarium nominum illorum, sic, (Aue Maria, &c.* IESVS CHRISTVS.)

1 Præsentissimus, intentissimus, & promptissimus.
2 AEternus præcognitor, elector, & prædestinator.
3 Pater, frater, & sanctificator.

¶ *Si vnum duntaxat nomen Ternarij volueris post vnum (Aue Maria) meditari: (quòd videtur commodiùs) ipsa ternaria sic applicabis Cruci, vt ex tribus ternariis cum altero nomine decimi ternarij, vni membro crucifixi applicans: sicut vides factum in sequenti figura, in qua prima decas ternariorum nominum Dei, tribus applicatur decadibus Rosarij.*

Aue Maria, &c. IESVS CHRISTVS amator noster.

Decas prima.

Tern. 1. { 1 Præsentissimus.
2 Intentissimus.
3 Promptissimus.

Tern. 2. { 4 Misericordissimus.
5 Patientissimus.
6 Beneuolentissimus.

Tern. 3. { 7 Placabilissimus.
8 Clementissimus.
9 Beneficentissimus.

{ 10 Proximus nobis & intimus. *Primũ nomen decimi, & ultimi Ternarij.*

Decas Secunda.

Tern. 1. { 1 Amabilissimus.
2 Amantissimus.
3 Dilectissimus.

Tern. 2. { 4 Piissimus.
5 Compatientissimus.
6 Dulcissimus.

Tern. 3. { 7 Esurientissimus.
8 Fortissimus.
9 Constantissimus.

{ 10 Inseparabilissimus.

Decas tertia.

Tern. 1. { 1 Opulentissimus.
2 Liberalissimus.
3 Magnificentissimus.

Tern. 2. { 4 Potentissimus.
5 Sapientissimus.
6 Sanctissimus.

Tern. 3. { 7 Benignissimus.
8 Fidelissimus.
9 Certissimus.

{ 10 Charitate plenissimus.

¶ *Decadem obsecrationum continentium perfectiones supersanctißimæ Trinitatis: (quia per ternaria etiam est distincta) applicabis Cruci, eo modo quo nunc dictum est ternaria nominum applicanda. Et pro Rosariis dicendis post singula (Aue* MARIA) *addes vnam vnius ternarij obsecrationem, hoc modo, (Aue* MARIA, *&c. Et benedictus fructus ventris tui* IESVS CHRISTVS, *qui misereatur nostri per Sanctißimæ Trinitatis fœcunditatem perfectißimam, vel communicationem liberalißimam, vel intimam familiaritatem, vel sic,* IESVS CHRITSVS, *qui laudet supersanctißimam Trinitatem pro sua perfectissima fœcunditate, vel pro sua perfectißima communicatione, & sic de cæteris.*

Decades aliarum obsecrationum sic post (Aue Maria) applicabis. Et benedictus fructus ventris tui IESVS *Christus, pro hac re sacra, vel qui misereatur nostri per hanc rem sacram, puta per suam Incarnationem, Natiuitatem, & sic de aliis.*

Decades petitionum sic post (Aue Maria) *meditaberis.* Et benedictus fructus vẽtris tui IESVS Christus: Qui det nobis fidem, vel spem, &c. Qui faciat nos vnum Deum adorare, & cætera præcepta seruare:

Qui repleat nos hoc dono Spiritus.

Qui faciat nos humiles, pauperes, mites, &c.

Qui

Qui reficiat nos sua laude, & gratiarum actione.

Qui det nobis promissam sibi reddere stabilitatem, vel

Qui exornet nos virtute humilitatis, patientiæ, vel

Qui purget, & præseruet nos à superbia, vel

Qui redimat, & præseruet nos ab his pœnis, vel

Qui perducat nos ad hæc præmia.

Decades autem nominum sanctißimæ Trinitatis minus conuenienter possunt applicari Rosariis.

¶ Qualiter ex decadibus colligatur exercitium laudis, & deuotionis erga B. Virginem.

Insuper ex decadibus nominum Dei, poteris etiam deuotißimum exercitiũ laudis erga B. Mariam colligere. Nam omnia superlatiua nomina Dei per participationem ei conueniunt, & per ea potest deuotè salutari, sic dicendo:

Aue Maria præsentissima, Aue Maria intentissima, Aue Maria promptissima, & sic de cæteris.

Poteris etiam simul IESVM salutare sic dicendo

Aue Maria præsentissima mater IESV præsentissimi.

Aue Maria intentissima mater IESV intentissima, & sic de cæteris.

¶ *Tunc autem vtile erit nominibus* IESV *præmittere aduerbium (super) dicendo.*

Aue Maria miſericordiſſima, mater IESV ſuper miſericordiſſimi.

Aue Maria patientiſſima, mater IESV ſuperpatientiſſimi.

¶ *Ex tribus aliis decadibus nominum Dei: ſalutabis Mariam tanquam matrem eius, cui omnia iſta nomina conueniunt, verbi gratia.*

Aue Maria mater IESV, noſtri præcognitoris, amatoris, & prædeſtinatoris.

Aue Maria mater IESV noſtri patris, fratris, & ſanctificatoris.

Aue Maria mater patris miſericordiarum, participis noſtrarum miſeriarum, & Dei totius conſolationis.

¶ *Sic per cætera ternaria nominum Dei, ſalutabis Mariam matrem* IESV, *rememorando ad ſingulas ſalutationes vnum ternarium, aut ſi malueris, ad ſingula cuiuslibet ternarij nomina ſalutabis Mariam, ſic dicendo.*

Aue Maria mater IESV patris noſtri.

Aue Maria mater IESV fratris noſtri.

Aue Maria mater IESV ſanctificatoris noſtri.

Et addere poteris poſt ſingulas ſalutationes (ora pro nobis) petens vt impetret fructũ illorum nominum.

¶ *Similiter poteris ex decadibus virtutum Theologarum, & Cardinalium, donorum Spiritus sancti, beatitudinum Euangelicarum, votorum monasticorum, & virtutum moralium colligere salutationes, & laudes Beatæ Virginis, sic dicendo*

Aue Maria plenissima fide, spe, vel charitate.

Aue Maria timoratissima, piissima scientiæ dono repleta, &c.

Aue Maria humillima, pauperrima, mitissima.

Aue Maria obseruatrix stabilitatis, obedientiæ, conuersionis morum.

Aue Maria humillima, pudicissima, patientissima.

¶ *Subiungendo ad singulas orationes, ora pro nobis, & petendo vt impetret nobis easdem virtutes, dona, &c.*

Quod prædictæ Decades aliis adhuc modis vtiliter exerceri possint.

CAPVT IX.

MVLTIS *adhuc aliis modis poteris te in prædictis decadibus exercere: prout te vnctio spiritus docebit, si humiliter, fideliter, feruenter, & perseueranter studueris eas memoriæ commendatas sæpius recolere. Certum est enim in illis,*

tanquam in quodam compendio, contineri ampla, & copiosa seminaria meditationum, orationum, & aspirationum. Nec est quod earum multitudine deterrearis: neque enim tibi proponuntur, vt eas omnes statim ediscas, & exerceas. Sed vt quotidie aliquid ex eis memoriæ commendes: & postquam commendaueris, in eo te exerceas quantum commodè poteris absque fastidio, & tui grauamine: & absque eorum, ad quæ teneris omißione, vel negligentiori persolutione. Neque enim priuata, vel voluntaria præiudicare debent, vel præponi communibus, & debitis, liberum ergo tibi erit ex istis decadibus tantum assumere, & ediscere, ac exercere: quantum tuæ conditioni, ingenio, otio, & deuotioni conueniet.

Cæterum ad instar, & similitudinem harum decadum, poteris alias colligere, & decem membris crucifixi pro locali memoria, sicut dictum est, applicare; & hoc tam de diuinis nominibus, quàm de petitionibus: atque etiam de articulis vitæ, & paßionis Domini nostri IESV Christi. Sic enim ad manum semper habebis copiosam meditandi materiã; & quæ sic per decades applicaueris Cruci, & memoriæ cõmendaueris; faciliùs quando volueris, tibi occurrent ad meditandũ: vel formandum ex illis aspirationes, & orationes varias.

Porrò ista omnia, quæ hic tradidimus, poteris & debes omittere, si & quandiu senseris tractum Dei internum te alia via, & methodo dulciùs afficientem; quo tractu cessante: istas industrias humanas repetes, & assumes, cum resignatione plena sequendi tractum Dei quandocunque, & quomodocunque illum senseris. Vult enim Deus nos quod est in nobis facere, & humanas industrias assumere: donec dignetur interno suo tractu, & vnctione spirituali ad altiora, & perfectiora nos attrahere, dirigere, & promouere. Quamprimum

verò eius tractum sentimus, promptißimè illum sequi debemus, omißis interim aliis omnibus voluntariis exercitiis.

Sequitur breuis explicatio eorum quæ in suprascriptis Decadibus sunt posita: quæ hic non intendimus exactè, & luculenter (prout fit à Theologis) tractare: sed simpliciter, & deuotè: sicut orantis deuotioni magis congruunt, & praxim spiritualem magis adiuuant. Quædam insuper in sequentibus, diuersis in locis, eadem sunt repetita: ne præcipua, quæ ad singulas res, & materias faciebant, aliunde essent requirenda cum tædio, aut præiudicio lectoris: quod etiam faciendum fuit ad commodiorem materiarum vsum, & fructum. Ceterùm, vt hæc ternaria cum maiori attentione, deuotione, & fructu mediteris, & exerceas, poteris (quando voles) primo cuiuslibet ternarij nomini præmittere (Amans adoro, & reuereor te ô talis:) & secundo (Amans contemplor, & glorifico te ô talis) & tertio (Amans congratulor tibi ô talis) atque post quodlibet Ternariū subiungere amans & gratias agens me totum tibi in perpetuū obsequium ex amore offero, ô vnitrine Deus obsecrans te vt me totum igne amoris tui purges, illumines, succendas, perficias, & in te transformes ad tuam gloriam & omnium salutem, Amen.

Vel, sic breuiùs te in his nominibus exercebis: præmittens duntaxat ante quodlibet nomen hanc breuem salutationem (AVE IESV TALIS) & subiungendo illius nominis interpretationem, & obsecrationem: vel solam interpretationē cum hac generali obsecratione (sicut scis, vis, & potes miserere nostri.) Ex ipso solo etiā nomine absq; eius interpretatione deuotam formabis aspirationem præponendo ei dictam salutationem, dicendo (AVE IESV PRAESENTISSIME vel INTENTISSIME.) Tunc etiā sub vnica

salutatione poteris tria simul nomina vnius ternarij cõmemorare, dicendo Aue IESV *præsentißime, intentißime, & promptißime. Per hanc autem salutationis vocem (Aue) intendes semper dominum* IESVM *ex amore salutare, eique congratulari, perinde ac si diceres, (Amans tibi congratulor, ô* IESV *talis. Præterea ante Communionem, vel Missam, aut sub Missa: poteris inuitare ad te Dominum Iesum sub his nominibus: sic dicendo, veni* IESV *præsentißime, veni* IESV *intentißime) subiungendo similiter interpretationem, & obsecrationem cuilibet nomini conuenientem, aut solam interpretationem cum hac generali obsecratione Miserere mei, & amore tui me purga, illumina, & inflamma. Sic autem te exercens in istorum nominum Dei meditatione per amorosas aspirationes: multum proficies in Dei notitia, & amore, & familiarior ei efficieris: efficaciusque ab eo impetrabis quæcunque salutaria tam pro te, quàm pro aliis obicem non ponentibus. Tanto enim citiùs orationes nostras Deus exaudit, quãdo ex puriori, & feruentiori amore procedunt. Cauebis autem ne tuus amor sit mercenarius, amando Deum ob id præcipuè quod tibi sit tam vtilis, & necessarius, sicut hæc nomina significant. Sed ex horum nominum consideratione, studebis per gratitudinis affectum excitari ad amandum Deum amore puro, & gratuito, non propter eius beneficia potißimum: Sed propter se, & quia dignißimus est super omnia amari. etiamsi nihil ab ipso sperandum esset. Sic enim & ipse gratis non prior dilexit, & purißimè amauit.*

EXPLI-

EXPLICATIO PRIMAE decadis continentis ſuperlatiua amabilia Deo cõuenientia per ternaria diſtincta: cum breui obſecratione illis accommodata.

CAPVT X.

Decadis primæ, Primum Ternarium.

1 O PRAESENTISSIME Amator, Qui nobis ſemper, & vbique es pręſentiſſimus in anima noſtra, eius eſſentiam conſeruans, & ad oſtium cordis noſtri pulſans, ac per fidem & gratiam, ſi aperuerimus tibi, nobiſcum habitans. Eya fac vt te ſemper, & vbique præſentem recogitemus, & reuereamur; tibiq́ue pulſanti confeſtim aperiamus.

2 O INTENTISSIME Amator, Qui vnicuique noſtrum ſingulariter intendis, omnesq́ue noſtras miſerias & neceſſitates, deſideria, & actiones clariſſimè conſideras. Eya fac vt tibi ſemper intendamus, tuum honorem & beneplacitum ante omnia & in omnibus quæramus, & quid à nobis exigas iugiter inueſtigemus.

3 O PROMPTISSIME Amator, Qui ſemper paratiſſimus es nobis, prout ſaluti noſtræ expedit ſuccurrere, noſtrasq; orationes ſalubriter exaudire, ſi quod in nobis eſt, facere non neglexerimus. Eya fac vt te fiducialiter in omni neceſſitate inuocem⁹, quod in nobis eſt faciamus, promptiſſimeq; ſemper tibi obediamus.

Ternarium Secundum.

4 MISERICORDISSIME Amator, qui es multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Eya miserere nostri secundùm multá, & magnam misericordiam tuam.

5 O PATIENTISSIME Amator, Qui nos multis peccatis te quotidie offendentes, & prouocantes, non condemnas & punis, sicut iustè posses, sed patienter toleras, & longanimiter ad pœnitentiam expectas. Eya fac vt hac tua patientia non abutamur, ne iram tuam nobis thesaurizemus, sed per eã potiùs ad faciendos dignos pœnitẽtiæ fructus prouocemur, & adiuuemur.

6 O BENEVOLENTISSIME Amator, Qui nobis, licèt indignis, & à te auersis, vis, & paratus es bona tua præstare, si ad te conuerti, tibiq́ue obtemperare voluerimus. Eya fac vt ad te toto corde conuertamur, tibiq́ue obediamus, tuæq; beneuolentiæ dona grati suscipiamus.

Tertium Ternarium.

7 O PLACABILISSIME Amator, Qui pio gemitu contriti cordis placaris, & nos post multas fornicationes & offensas, ad te reuertentes, placato vultu recipis. Eya fac nos sic ex amore tuo pro peccatis nostris cóteri, & gemere, vt tu placatus, nos ad te reuertentes, tanquam prodigos filios, benignè suscipias & amplectaris.

8 O CLEMENTISSIME, & Indulgentissime

tiſſime Amator, qui æternas pœnas peccatis noſtris iuſtè debitas clementer indulges, & remittis: caſtigationesque tuas, fructuoſas nobis, & meritorias efficis. Eya hîc miſericorditer nos corripe & caſtiga: vt in æternũ parcas, & à gehennæ pœnis liberes.

9 O BENEFICENTISSIME Amator, Qui nobis, etiam quando in te peccamus, benefacere non ceſſas; pœnitentibusque gratiam tuam, & perſeuerantibus gloriam æternam retribuis. Eya fac vt hæc tua beneficentia ad te redamandum, & colendum nos efficaciter inflammet: vereque pœnitere, & in tuo ſeruitio vſque in finem perſeuerare nos faciat.

Quartum Ternarium.

1 O AMANDISSIME, & Amabiliſſime Amator: in quo, & à quo ſunt omnia amanda: & qui omnia bona, & amanda in omni bonitate, & amabili perfectione infinitè excedis. Eya fac vt te ſolùm in omnibus; & omnia in te, & propter te ſolum; teque ſuper omnia toto corde diligamus, & grato obſequio colamus.

2 O AMANTISSIME Amator; Qui ſuper omnes amicos noſtros nos amas, dulciùs fortiùs & efficaciùs: factus pro nobis homo, paſſus & mortuus: nobisq; in cibum & præmium donatus. Eya fac, vt te, & proximum propter te, amemus, dulciter, fortiter, & efficaciter.

3 O DILECTISSIME & Amantiſsime

Amator; Quem Sancti omnes toto corde, tota mente, tota anima, ex omnibus viribus diligunt, amant, & colunt. Eya fac nos cùm illis te dulciter, veraciter, sapienter, efficaciter, & totaliter diligere; & grato obsequio colere.

Quintum Ternarium.

4 O PIISSIME Amator; Qui plusquam paterna pietate, suauiter erga nos afficeris, & omni pietatis studio nos prosequeris. Eya fac vt nos filiali pietate, & affectu te amemus, colamus, & omni pietatis officio veneremur; ac propter te erga omnes proximos piè afficiamur.

5 O COMPATIENTISSIME Amator; Qui tanquam caput nostrum, nostris miseriis, velut propriis compassus es; ac pro eis subleuandis durissimam passionem & mortem subire dignatus es. Eya fac vt nos tibi pro nobis crucifixo & passo: ac propter te, miseris & afflictis omnibus intimè compatiamur: & pro tuo honore, proximorumque salute, quidquid volueris, aut permiseris, libenter patiamur.

6 O DVLCISSIME Amator; Qui magnam dulcedinis tuæ multitudinem timentibus te abscondis; & eis, qui in conspectu hominum in te sperant perficis. Eya fac vt te casto, & filiali timore timeamus, in te speremus & gustemus, ac videamus quam dulcis & suauis es; tuæq; dulcedinis gustu terrena omnia & aliena à te fastidiamus.

Sextum Ternarium.

7 O ESVRIENTISSIME Amator; Qui continua, & ardenti esurie, ac siti nos desideras saluare, & in te transformare: Teque à nobis in sacramento Eucharistiæ sumi, & manducari. Eya fac vt & nos tuum honorem, & beneplacitum continuè, & ardenter esuriamus: teque sic deuotè in Sacramento manducemus, vt in te transformari possimus.

8 O FORTISSIME Amator; Qui fortiter hostes nostros reprimis, & superas, fortiterque pro nostra salute, ardua, & dura aggressus, & passus es. Eya fac vt per te, & propter te, vitiis omnibus, & his qui te oderũt, fortiter resistamus, viriliterq; ardua & dura quæcunque volueris aggrediamur, & patiamur pro tuo amore.

9 O CONSTANTISSIME Amator; qui ab æterno vsq; in æternũ electos tuos amas, nullisque eorum offensis à tuo erga illos amore cessas & tepescis. Eya fac vt tuo amore & obsequio, nullis aduersis, vel prosperis, nec in tempore, nec in æternitate vmquam separemur, vel tepescamus, sed vsque in finẽ proficiendo perseueremus.

Septimum Ternarium.

1 O OPVLENTISSIME Amator, Qui in teipso, & à teipso es omni bono plenissimus & diues in omnes qui inuocant nomen tuum, absq; vlla diminutione bona tua com-

municas. Eya dita paupertatem nostram, & fac vt quidquid nobis est necessarium & vtile, à te speremus, quæramus, recipiamus, & ad tuum honorem referamus.

2 O LIBERALISSIME Amator, Qui gratis, absq; vllo præcedente merito nostro, & nulla expectata à nobis retributione, bona tua affluenter largiris. Eya propter te, & iuxta tuam libertatem, dona tua nobis affluenter largire, & fac vt liberaliter, ex puro amore nos, nostraq; omnia, tibi primum, & propter te, proximis impendamus.

3 O MAGNIFICENTISSIME Amator qui super electos tuos misericordiam magnificas, opera in illis, & per illos magnifica faciens, magnificeque eos coronans. Eya super nos misericordiam tuam magnifica, in remissione peccatorum nostrorum, in operatione virtutum heroicarum, & in retributione copiosæ gloriæ.

Octauum Ternarium.

4 O POTENTISSIME Amator, cui nullus potest resistere, sed omnia quæcumque volueris in cœlo, & in terra liberè perficis. Eya in nobis liberè operare, hostes nostros potenter reprime, & ad omnia tibi placita nos potentes effice.

5 O SAPIENTISSIME Amator, Qui omnia clarissimè nosti, nec à quocumque falli aut decipi potes. Eya fac nos verè sapientes, & ab omni fraude, & deceptione inimici liberos.

6 O SANCTISSIME Amator, Qui es purissimus, perfectissimus, & incommutabilis in omni bono. Eya vt & nos sancti simus, & in sanctitate tibi seruiamus, tu quæso, nos purifica, perfice, & confirma in omni gratia, & virtute.

Nonum Ternarium.

7 O BENIGNISSIME Amator; Qui ignita, ardenti & efficaci charitate nos amas, & bonis tuis ditas. Eya fac vt & nos ignita, & efficaci charitate te diligam⁹, & grato obsequio colamus.

8 O FIDELISSIME Amator, Qui semper verax es, & fidelis in tuis verbis, & promissis. Eya fac nos fideliter tibi semper credere: & in verbis, & propositis nostris veraces, & fideles semper esse.

9 O CERTISSIME Amator; Qui constanter nos amas, & certissimè reddis promissa, nec in tribulatione, tuos vmquam deseris. Eya fac vt & nos certo, & constanter te amemus, & nullis tentationibus à tuo amore separemur.

Decimum Ternarium.

10 O PROXIME & intime Amator; Qui omni propinquitatis & beneficij genere, nobis es coniunctissimus, & in nuda essentia animæ nostræ intimus & præsentissimus. Eya fac vt te super omnes parentes, & propinquos & benefactores nostros amemus, &

colamus, teque nobis semper & vbique præsentem reuereamur.

11 O INSEPARABILISSIME Amator; qui neq; in vita, neq; in morte à nostra anima separaris, sed ei semper præsens es, & eã in suo esse conseruas. Eya fac vt tibi per amorem inseparabiliter adhæreamus.

12 O CHARITATE PLENISSIME Amator, qui æterna, continua, perfecta, & consummata charitate nos diligis. Eya reple nos vera & perfecta charitate, & quidquid amoris erga te, & proximos debiti nobis deest, de tua plenitudine supple & excusa.

EXPLICATIO DECADIS secundæ attributorum Dei Amabilium.

CAPVT XI.

Primum Ternarium.

1 O SVPERDIGNISSIME Deus, Qui super omnia dignissimus es omni reuerentia, laude & amore, & grato obsequio. Eya fac vt te super omnia reuereamur, glorificemus, amemus, & ex amore tibi seruiamus.

2 O SVPERAFFABILISSIME Deus, Qui super amicos omnes te affabilem tuis electis exhibes, in interna visitatione, & allocutione, qua eos intus visitas & alloqueris. Eya purifica nos, & præpara, vt hac tua visitatione & allocutione digni habeamur.

3 O SV-

3 O SVPERDELITIOSISSIME Deus, Qui in teipso delitijs omnibus affluis, tuisque eloquijs super mel dulcioribus, & internis cõsolationibus electos tuos recreas. Eya fac vt omnem externam, & tibi non placentem delectationem respuentes in te solo, tuisque eloquijs, & gratijs delitias nostras constituamus.

Secundum Ternarium.

4 O REVERENDISSIME Deus, Qui propter immensam tuam maiestatem, æquitatem inflexibilem, & plusquàm paternam bonitatem, es cum omni reuerentia, tremore, & filiali timore colendus. Eya fac vt reuerenter coram te semper stemus, tuæque maiestatis offensam omnem vbique timeamus, & sollicitè præcaueamus.

O HONORANDISSIME Deus, Qui omni honore, laude, cultu, & seruitio es dignissimus. Eya fac vt te semper, & vbique honoremus, laudemus, omnique pietatis studio colamus.

6 O DESIDERABILISSIME Deus, Qui totus es desiderabilis, & super omnia vtilia, honesta, & delectabilia appetẽdus. Eya te solum in omnibus, & præ omnibus desideremus, quæramus, & expectemus.

Tertium ternarium.

7 O MAXIME & immense Deus, Cuius magnitudinis nullus est finis. Eya te super omnia magnificemus, prædicemus, & superexaltemus.

8 O GLORIOSISSIME Deus, Qui in teipso, & à teipso es semper omni gloria plenissimus, & cui soli debetur in omnibus, & ex omnibus gloria. Eya fac vt in te solo gloriemur, teque solùm pro omnibus glorificemus, & laudari desideremus.

9 O OPTIME Deus, Qui solus essentialiter bonus, omnium bonorum es author, conseruator, ac supereminens possessor. Eya fac vt te super omnia appetamus, quæramus: & à te omnia bona nobis conuenientia speremus, & obtineamus.

Quartum Ternarium.

O PRAESTANTISSIME Deus, Qui omnia creata in omni potentia, sapientia, bonitate, & virtute in infinitum præcellis, & superas. Eya fac vt te super omnia reuereamur, laudemus, amemus, desideremus, & amplectamur.

2 O LVCIDISSIME Deus, Qui fons lucis, & luminis omnis existens, nullasq; tenebras habens, omnia illuminas, & in ipsis etiam tenebris luces. Eya illumina tenebras nostras, vt te, tuamq; volũtatem, & quidquid nobis est salutare clarè videamus.

3 O QVIETISSIME, Serenissime, & Pacatissime Deus, Qui omnis mutationis, turbationis, discordiæ, & diuisionis prorsus expers, amas & inhabitas quietos, pacatos, & concordes. Eya fac nos sollicitè semper quærere, procurare, & seruare pacem, quietem, & concordiam internam, & fraternam.

Quintum Ternarium.

4 O PRETIOSISSIME Deus, Qui es pretiosa margarita omnibus venditis emenda, & vnicum electorum tuorum pretium, & merces magna nimis. Eya fac vt omnibus propter te abrenunciemus, & te vnicum omnium laborum nostrorum pretium & mercedem expectemus.

5 O FAMILIARISSIME Deus, Qui specialibus amicis tuis te familiarem exhibes, tua illis secreta cõmunicans: sæpiùs eos interna visitatione recreans, & bonam ac liberam, humilem tamen ac timoratam, confidentiam erga te illis donans. Eya vt huius tuæ familiaritatis participes inueniamur, fac vt te nobis præsenté semper sentiamns, cor nostrum corá te effundamus: in te plenè confidamus, nosq́; totos tibi resignemus.

6 O SECRETISSIME Deus, & Iucundissime, Qui in secreto solitudinis internæ pariter, & externæ, te familiariùs communicas, spiritualique lætitia diligenter te perfundis. Eya fac nos secreta solitudinis amare, & quærere: vt internam tuam vocem, & visitationem liberiùs percipiamus, tuoque gaudio recreemur.

Sextum Ternarium.

7 O EXCELLENTISSIME Deus, Qui super omnia excellis infinita tua maiestate, sapientia, & bonitate. Eya fac vt te super omnia reuereamur, glorificemus, & amemus.

8 O VICTORIOSISSIME Deus, Qui aduersę dominationis vires reprimis, inimici rugientis sæuitiam superas, & hostiles nequitias potens expugnas, & magnificè semper triumphas. Eya fac nos tua virtute hostes nostros viriliter repellere, & superare.

9 O FOELICISSIME, & lætissime Deus, Qui in te & ex te semper es fœlicissimus, & lætissimus: & eos, qui te diligunt fœlices & lætos facis. Eya fac nos sic te veraciter, & perseueranter diligere: vt tuæ fœlicitatis, & lætitiæ sempiternæ consortes esse possimus.

Septimum Ternarium.

1 O IVSTISSIME DEVS: Qui iustitia regula inflexibilis existens: sine personarum acceptione iustos & bonos remuneras; malos autem reprobas, & punis: Eya fac nos tuæ iustitiæ semper adhærere: & secundùm eam bonum sectari, bonosque honorare: malum autem, & malos odio habere, & prosequi.

2 O VERACISSIME DEVS: Qui verax & fidelis semper es in omnibus verbis tuis, & iudicijs, & in veritate viā salutis doces: Eya fac nos veraciter tibi semper credere, & tuo dono veraces in omnibus esse.

3 O GRATIOSISSIME DEVS: Qui fons omnis gratiæ existens: gratiam tuam in electorum tuorum cordibus, labijs, & operibus, copiosè diffundis, & communicas: Eya effunde super nos spiritum septiformis gratiæ tuæ & miserationis.

Octauum Ternarium.

4 O ALTISSIME DEVS: Qui ſolus altiſſimus ſuper omnem terram: nimis exaltatus es ſuper omnes cœlos, & deos; Eya trahe nos ad te: & à terrenis ad cœleſtia, imò etiam ſuper omnia cœleſtia creata, ad te eleua: vt te ſolum ſuperexaltemus, & laudemus in ſecula.

5 O PVLCHERRIME, & ſpecioſiſſime Deus, in quem deſiderant Angeli proſpicere, & cuius ſpeciem, & pulchritudinem ſancti contemplantes, efficiuntur beati. Eya fac vt terrena omnia deſpiciẽtes, tui ſolius pulchritúdinem videre concupiſcamus: & ad eã congruis ſtudijs præparemur.

6 O SVAVISSIME DEVS; Qui fons omnis ſuauitatis exiſtens; tua ſuauitate diligentes te recreas, & inebrias: Eya fac nos vacare, guſtare, & videre quàm ſuauis es.

Nonum Ternarium.

7 O VTILISSIME DEVS: Qui omnia creata in vſum, & cõmoditatem electis tuis tribuis: teipſum quoque in præmium, & votorum omnium pleniſſimam impletionem, ac ſatietatem illis communicas: Eya fac vt omnia nobis vtilia à te ſperemus, quæramus, & recipiamus, omnibusque propter te vtentes, te ſolo ſuper omnia fruamur.

8 O HONESTISSIME DEVS: Qui totius honeſtatis, & virtutis fons exiſtens: honeſtas te diligentes in omnibus ſuis laboribus, & ſtudijs: Eya fac, vt omne bonum hone-

ſtum à te quæramus, & in omnibus per te honeſtemur.

9 O DELECTABILISSIME Deus: Qui ſuper omnia delectabilia diligentes te afficis, & oblectas tua bonitate & perfectione infinita; tuiſque eloquijs ſuper mel dulcioribus, & tuis miſericordijs, ac beneficijs: Eya fac, vt præ omnibus delectabilibus in te, tuiſq; eloquijs, & miſericordijs ſic delectemur, vt renuat in alijs extra te conſolari anima noſtra.

Decimum Ternarium.

10 O PERFECTISSIME Deus, Qui omni carens defectu: nec vllum valens augmentum recipere, perfectiſſimus es in tua natura, cognitione, & operatione; Eya tua perfectione ſupple imperfectum noſtræ naturæ, cognitionis, & operationis: & iuxta menſuram tuę donationis in omni bono nos perfice.

11 O ILLVSTRISSIME DEVS, Qui in te, & à te illuſtriſſimus, & nobiliſſimus exiſtens: diligentes te illuſtras, & verè nobiles efficis: Eya fac vt te ſolum glorificantes, tibique per amorem adhærentes, verè illuſtres, & nobiles efficiamur, & ſimus.

12 O BEATISSIME Deus, Qui omni carens miſeria, omnium bonorum plenitudine ſuperabundas: Eya à noſtris nos liberás miſerijs, tuæ beatitudinis participes tandem effice.

EXPLICATIO TERTIAE Decadis continentis Ternaria nominum Dei beneficia erga nos exprimentium.

Cap. XII.

Primum Ternarium.

O AETERNE præcognitor, & amator: Qui ab æterno cognouisti vitam, & mores, ac multiplices defectus per te saluandorum: & nihilominùs eos amasti, Eya nullis nostris defectibus subtrahas amorem tuum à nobis: nullisque tuis flagellis, & aduersis permittas nos à tuo amore separari.

2 O ELECTOR & gratificator: Qui in merito præuisæ Incarnationis filij tui, omnes saluandos ab æterno de reproborum numero segregasti, elegisti, & tibi gratificasti, Eya in eodem merito nos à peccatoribus segrega: electorum tuorum numero adscribe: & gratos tibi perfice.

3 O PRAEDESTINATOR: Qui ab æterno proposuisti saluandos vocare, iustificare, glorificare, & omnia ad salutem illis conferre: Eya magis ac magis nos voca, iustifica: & omnia nobis salutaria hîc concedens, cum prædestinatis nos tandem glorifica.

Secundum Ternarium.

4 O PLASMATOR, & factor noster Deus: Qui cæteris omnibus corporalibus creaturis propter vsum nostrum per te creatis & formatis: corpus protoparentis nostri de limo terræ, & cæterorum hominum corpora de parentum semine (corpore Christi excepto) mirabiliter formasti; pulchra, & ad animæ functiones & ministeria vtili membrorum varietate, & dispositione, eadem ornasti: perfectumque, & sanum corpus nobis dedisti: Eya da vt omnibus creatis propter te, & secundùm te vtentes; corpus nostrum totum seruitio tuo impendamus. Quod vt fiat, tu quæso illud redde, & cor serua purũ, sanum, & integrũ, & ad opera spiritus promptum, & obediens.

5 O CREATOR, & figurator noster Deus: Qui mirabiliter creatis, & propter salutis nostræ ministerium ordinatis Angelis: animam protoparentis nostri, formato eius corpori insufflãdo, & de nihilo creasti: & singulis nostrum, disposito embrioni seu corpori in vtero matris, animam infundendo creas, & creando infundis: eamq; simplicem, incorporeã, immortalem, corpus informantem, & viuificantem: rationabilem, & in tribus suis potentijs (memoria scilicet, intellectu, & voluntate) supersanctissimæ Trinitatis imaginem referentem facis: Eya da, & fac vt anima nostra ab omni vitiosa multiplicitate, & corporea affectione libera: tuo amore semper viuificetur; & secũdùm tuum

beneplacitum corpus viuificet, & regat: tuisque tribus supremis potentijs te trinum Deũ recolat, contempletur, amet, & fruitinè possideat.

6 O ASSIMILATOR, & ornator noster Deus, Qui protoparentem nostrum per iustitiam originalem ad similitudinem tuam formasti, & nos per regenerationis gratiam, donorumque ac virtutum infusionem, sublimiùs autem per contemplationis & vnionis internæ gratiam, tibi assimilas & conformas: Eya restaura, & conserua in nobis regenerationis innocentiam: & per dona, ac virtutes, studiumque deuotæ contemplationis nos tibi conforma, & assimila.

Tertium Ternarium.

7 O CONSERVATOR omnium potentissime Deus, Qui nos, & propter nostræ salutis ministerium, ac vsum, omnes Angelos, cœlum, & terram, ac omnia quæ illis continentur in esse conseruas, & sustentas: tuaque in nobis dona, vt perseuerẽt facis: Eya fac vt tibi semper per amorem, & gratiam adhærere studeamus, & omnibus propter te sobriè vtamur.

8 O GVBERNATOR, & moderator omnium sapientissime, Qui cœlestia & terrena omnia prudentissimè gubernas, & moderaris: ordinatissimeque omnia ad electorum tuorum salutem disponis, & ipsos electos tuos speciali prouidentia in omnibus prosperis & aduersis sapienter dirigis: Eya fac vt

nos,& omnia,tuæ gubernationi plenè committamus, & de tuæ paternæ prouidentiæ dispositione,omnia in bonum nobis profutura suscipiamus: atq; prudenter secundùm tuum beneplacitum in omnibus à te dirigamur.

9 O INSPIRATOR suauissime, Qui per septiformem spiritum tuum,& sæpè per Angelicum, vel humanum ministerium,nobis inspiras sancta desideria, & recta cõsilia, & ad iusta opera nos excitas, & promoues: Eya sicut potes, scis, & vis nobis salubriter desideria sancta, & recta consilia inspira, & ad iusta opera nos efficaciter promoue, & dona, vt tuas inspirationes sollicitè audiamus,& promptissimè semper sequamur.

Quartum Ternarium.

1 O REGENERATOR noster Deus, Qui per Baptismi sacramentum nos à potestate dæmonis eripuisti:ab omni culpa mundasti, & ex filijs irę in filios gratię regenerasti: Eya fac vt diabolo & omnibus operibus eius perfectè renunciemus: omnem tuam offensam studiosè vitemus, & regenerationis gratiam immaculatam custodiamus.

2 O REDEMPTOR,& nominator noster Deus, Qui per Baptismum, passionis tuæ meritum perfectè nobis applicans,ab omnibus pœnis redemisti:& Chrismate sacro nos vngens,ex nomine tuo Christiano nos vocasti: Eya fac nos tuæ redẽptionis semper participes,& non solùm nomine, sed fide, & opere Christianos.

3 O VIVIFICATOR noster Deus, Qui in Baptiſmo charactere indelebili nos ſignaſti, veſte candida innocētiæ veſtiſti, & ſeptiformi ſpiritu tuo viuificaſti: Eya eodem ſpiritu nos viuifica, & ad omnia tibi placita viuos, & alacres, & promptè mobiles effice.

Quintum Ternarium.

4 O PVRGATOR noſter Deus: Qui electos tuos purgas à malis, & vitioſis cogitationibus, à tenebris ignorantiæ, erroris, & curioſitatis: & à prauis affectibus, Eya ab his ſemper nos purifica, & præſerua.

5 O ILLVMINATOR NOSTER DEVS: Qui electos tuos illuminas lumine rationis naturalis, & ſupernaturali lumine fidei, ſcientiæ, conſilij, intellectus, & ſapientiæ: Eya his tuis ſplendoribus nos ſemper illumina; & in lumine tuo fac ambulare, & de virtute in virtutem proficere.

6 O INFLAMMATOR NOSTER DEVS: Qui electos tuos igne amoris tui inflammas: & accendis ad te diligendum, deſiderandum, glorificandum, & poſſidendum: ad ſui cōtemptum, & omnis peccati odium: ad agendum & patiendum quidquid ab eis exigis: Eya illo igne ſic nos ſemper ſuccende, & ad iſta omnia efficaciter promoue.

Sextum Ternarium.

7 O NVTRITOR SVAVISSIME DEVS, Qui das eſcam omni carni: & electos

tuos conuenienter pascis cibo corporali, superſubſtantiali, & ſpirituali: Eya da nobis hunc triplicem panem de manu tua ſobriè, reuerenter, & deuotè ſuſcipere, & manducare: ad tuam gloriam & obſequium.

8 O VESTITOR, & domicilij largitor Deus, Qui electos tuos corporalibus, & ſpiritualibus virtutum veſtimentis, & indumentis veſtis; & congruum habitationis locum illis prouides: Eya prouide corpori noſtro ſimplicem veſtitum, & animæ ſpiritualem ornatum tibi placentem, domicilijq́; locum vtriuſque ſaluti conuenientem.

9 O PROVISOR ſufficientiſſime Deus, Qui cætera omnia ad ſalutem animæ, & corporis neceſſaria, & cõuenientia electis tuis prouides, & donas opportunè, ſufficienter, & conuenienter, abſque eorum nimia ſollicitudine: Eya fac vt quæramus primùm regnum Dei, & iuſtitiam eius: & cætera à te adijcienda confidenter ſperemus, nobis quod eſt noſtrum, abſque ſollicitudine facientibus.

Septimum Ternarium.

1 O CVLPAE, & offenſæ remiſſor Deus; Qui peccatores te prouocantes toleras, vocas, illuminas, compungis, attrahis: & reuertentibus ad te cum contritione, culpam, & offenſam remittis, & condonas: Eya ſic efficaciter nos quoties te offenderimus voca, illumina, compunge, & attrahe: vt verè contrito: & humiliato corde ad te reuer-

ten-

tentes, veniam consequamur, & offensarum remissionem.

2 O POENAE PERSOLVTOR, & relaxator fili Deus; Qui pœnam pro totius mundi peccatis debitam superabundanter in tua humanitate persoluisti; eamque per sacramenta, & deuota exercitia nobis applicans, & communicans, à promeritis pœnis nos relaxas, & liberas: Eya da vt passionem tuam sic deuotè recolamus, & per sacramenta nobis applicemus, vt eius merito ab omnibus pœnis hic plenè purgemur.

3 O GRATIAE, & donorum retributor Deus, Qui peccatoribus non solùm veniam præbes, sed si verè pœnituerint, gratiã tuam in illis superabundare facis, atque à recidiuo eos præseruans: vt in bonis operibus ferueãt & proficiant, donas: Eya fac nos sic pœnitere, vt in nobis tuã gratia superabundet: quæ ab omni peccato nos custodiat, & placitis tibi actibus foecundet.

Octauum Ternarium.

4 O EDVCTOR noster admirabilis, Qui postquàm vanitatibus deditos diu tolerasti, tandem mirabili voluntatis nostræ immutatione, à seculi vanitate abstraxisti, & ad supernæ vocationis brauium accendisti: Eya fac vt de die in diem perfectiùs seculi vanitatibus renunciemus, & ad perfectioris vitæ studium accendamur, & proficiamus.

5 O VOCATOR noster sapientissime, & consiliare prudentissime, Cuius sa-

pienti vocatione, & prudenti consilio elongauimus fugientes seculum, & ordinem, & locum nostræ conditioni, & saluti cõgruum elegimus: vitæque spiritualis semitas apprehendimus: Eya fac vt secularia negotia, & consortia fugientes: eum ordinem & locum, ad quem nos tua dignatione vocasti, magis nobis vtilem semper credamus, & in eo ad vitæ spiritualis perfectionem iugiter aspiremus, & studiosè tendamus.

9 O SVSCEPTOR NOSTER DEVS FORTIS, Qui nos ad religionis habitum, & annuam probationem beneuolè suscipi: & tandem ad professionem admitti fecisti, & in suscepta religione, huc vsque fouisti, & fortiter perseuerare fecisti: Eya fac vt religiosi habitus pietatem in nostris moribus ostendentes: professionis gratiam gratis nobis à te datam fuisse cognoscamus, votaque tibi promissa de die in diem fideliùs reddentes, tuæ protectionis auxilio, vsque in finem in suscepta religione propter te perseueremus.

Nonum Ternarium.

7 O PATER COELESTIS FILIO tuo nos desponsans, Qui nostram vtilitatem & indignitatem non ignorans, ex nimia charitate, proprium filium, tibi coęqualem, & prædilectum, in sponsum nobis donasti: nosque in filios, & hæredes tuos suscepisti: Eya fac vt huic paternæ charitati per filialem affectum respondeamus, & hac spiritua-

rituali cum filio tuo despõsatione indignos nos non reddamus.

8 O SPONSE ANIMARVM nostrarum dulcissime fili Deus, Qui vt perfectiùs nos tibi despõsares, & vnires, nostram naturam assumpsisti: tuisque passionibus & meritis nos abluisti, redemisti, & ornasti, & per fidem, spem, & charitatem tibi nos desponsans, tuæ mensæ, thalami, & regni participes effecisti: Eya per tuæ Incarnationis, & passionis mysterium, & meritum, magis ac magis nos sanctifica & redime: tibique incorporans, & desponsans, tuæ mensæ, thalami, & regni participatione dignos effice.

9 O SINGVLARIS BENEFACTOR, dotator, & fœcundator noster: Qui electorum tuorum animas, vt sponso cœlesti placeant, singularibus donis, & gratijs ornas, & dotas; bonisque desiderijs, & operibus fœcundas: & tui amoris glutino eidem sponso vnis, & coniungis: Eya iuxta mensuram donationis tuæ nos exorna, fœcunda, & spirituali sponso agglutina, vt ei placere semper, & ab eo nunquam separari possimus.

Decimum Ternarium.

10 O DEFENSOR & susceptor noster in morte: Qui electos tuos in mortis angustijs ab hostium insidijs, & tentationibus protegis: tua paterna pietate consolaris: & purgatos in paternum sinum, & regnum suscipis: Eya sic quæsumus in hora mortis no-

ſtræ nos protege, conſolare, purga, & in gloriam tuam ſuſcipe.

11 O SVSCITATOR MORTVORVM DEVS: Qui ad vocem tubæ, & iuſſum Angeli, in fine ſeculi omnes mortuos in corpore, & anima reſurgere facies: ſed electorum tantùm corpora dotibus gloriæ glorificabis; Reproborũ verò, omni deformitate, & miſeria plena relinques: Eya corpus noſtrum nunc corpori tuo crucifixo, caſto, laborioſo, & obedienti configura, vt in reſurrectione corpori claritatis tuæ conformetur.

12 O RETRIBVTOR meritorum, & electorum glorificator Deus, Qui vnicuique in iudicio extremo plenè retribues, prout geſſit in corpore, & anima: & eos quidem, qui in tua charitate defuncti fuerint, ad regni tui perceptionem vocabis, & admittes. Cæteros autem, tamquàm maledictos, & reprobos, à tua viſitatione repellens, in ignẽ æternum cum diabolo cruciandos proijcies. Eya fac nos in tua dilectione proficere ſemper, & vſque in finem perſeuerare: vt in die iudicij ab auditione mala nõ timeamus, ſed cum electis tuis audire mereamur; Venite benedicti patris mei.

EXPLICATIO TERNARIORUM Decadis quartæ, continentium nomina Dei amabilia, quorum secunda propriè conueniunt Domino nostro IESV Christo quatenus est propter nos factus homo.

CAPVT XIII.

Primum Ternarium.

1 O Pater Amantissime, & misericordissime, qui parentum nostrorum pater existens: animæ nostræ solus es creator, & corporis nostri verus psalmator; paternaque pietate, & prouidentia nobis vbiq; assistis, & succurris: nosque prodigos filios ad te reuocas, & reuertentes benignè suscipis: Eya fac vt te plusquam parentes nostros diligamus: imò etiam propter te illos, quando à tuo seruitio nos impedire voluerint, odio habeamus, & deseramus: filialique reuerentia & amore tibi semper seruiamus, & si quando à te tanquã filij prodigi recesserimus tu quæsumus, nos efficaciter reuoca, & reuertentibus accurre, amplexumque & osculum, stolam primam, annulum, & calceamenta nobis misericorditer impertiens, saginato vitulo nos gaudenter refoue, & refice.

2 O FRATER noster amabilissime fili Deus, Qui vnigenitus Dei patris existens,

per humanitatis nostræ assumptionem, frater noster fieri,& dici voluisti:nobisque in te credentibus das potestatem filios Dei fieri, qui etiam nomen,& notitiam patris cęlestis nobis narras:& viam,qua ei placeamus, & ad eum perueniamus enuntias:nosque ei reconcilias,& ad ipsum trahis,& reuocas. Eya fac nos sic in te verum Deum,& verum hominē credere,vt filij Dei & fratres tui verè vocari possimus,& à te notitiam patris tui,paternæque eius voluntatis discamus, ac tandem tuæ reconciliationis merito, & benigno tractu ad eum fœliciter perueniamus.

3 O SANCTIFICATOR nostri inuisibilis,Qui in te,& à te purissimus, perfectissimus,& incommutabilis existens,solus verè sanctus diceris : à quo omnes sancti sanctificantur:Eya vt & nos sancti simus, tu, quæsumus, nos purga ab omni vitio perfice, & stabili in omni bono, ad tuam gloriam sempiternam.

Secundum Ternarium.

4 O IVDEX omniū supreme: à quo nullus appellare,vel fugere potest,qui es æquissimus,sapientissimus, potentissimus, & erga pęnitentes misericordissimus, ac benignissimus,sed erga pœnitere nolentes, vel negligentes,districtissimus,& seuerimus: Eya fac vt te uereamur, à iudiciis tuis timeamus: dignisque pœnitentiæ fructibus, fugiamus à facie iræ venturi tui iudicij.

5 O ADVOCATE, & Patrone noster

benigniſſime, fideliſſime, & acceptiſſime, Qui cauſam noſtram defendendam, & excuſandam benignè ſuſcipis, fideliter defendis, & patri iudici acceptiſſimus exiſtens: nos propter te eidem acceptos, & gratos reddis: Eya noſtri patrocinium apud patrem ſuſcipiens, tuo nos merito defende, excuſa, & gratifica.

6 O IVSTIFICATOR noſter Deus, qui verè pœnitentes à culpa abſoluis, iuſtos facis, & iuſtitiæ fructum ac præmium illis retribuis: Eya fac nos ſic verè pœnitere, vt ab omnib. peccatis abſolui, iuſtitia indui, eiuſque merito, & fructu gaudere poſſimus.

Tertium Ternarium.

7 O REX regum ſuperexcellentiſſime, Qui cœlum, terramque poſſides, & potenter regis, ac ſpeciali cura electos tuos gubernas, in eis regnans, eoſq; reges faciens: Eya fac vt te ſuper omnia regnantem viua fide ſemper credamus, & reuereamur: & te ſpeciali prouidentia in omnibus iuxta tuum beneplacitum regamur: Sicq; vires, & ſenſus noſtros, & eos qui nobis commiſſi fuerint, ſecundum te prudenter regamus: vt cœleſtes regni tui cõſortes tandem eſſe poſſimus.

8 O PRINCEPS principum illuſtriſſime, & ſapientiſſime, Qui primatum & pricipatum in omnibus. & ſuper omnia tenens, ad explendam Dei patris voluntatem prior proceſſiſti: Tuoque exemplo, & verbo nos inſtruxiſti, & direxiſti: Eya fac vt te præ omni-

bus honoremus, viamq; salutis, & crucis, per quam tu prior ambulasti, tuo exemplo, & merito adiuti sequamur, & perambulemus; aliosque ad eam inuitemus & dirigamus.

9 O RECTOR morum suauissime, qui nostros prauos mores in misericordia corripis, & reformas, tui amoris gustum nobis infundis, & ex amore tuo omnia nos suauiter agere doces. Eya quidquid in nobis prauum, & distortum est tu misericorditer corrige. Amore tuo nos inflamma, & propter amorẽ, ac beneplacitum tuum fac omnia aggredi, prosequi, & perficere, ad gloriam tuam, & omnium salutem.

Quartum Ternarium.

1 O DOMINE superdignissime, amantissime, & liberalissime, qui omni seruitio propter te es superdignissimus; & licet nullo indigeas, quia tamen vtile, & salutare nobis est tibi seruire, nostrum seruitium exigis, & abũdè remuneras: Eya fac vt tibi seruiamus reuerenter, & fideliter, amanter & hilariter, liberaliter, & gratis absque intuitu proprij commodi, vel mercedis.

2 O EMANVEL nobiscum Deus, Dei & hominum mediator, & pacificator, Qui nostram humanitatem assumens, & tuæ diuinitati personaliter vniens, factus es verus homo, permanens verus Deus, vt inter Deum patrem, & nos medius & sequester existens; nos ei reconciliares, & vnires: humanisque tuis actionibus, passionibus, & meritis nos sanctifi-

ctificares:& tua diuinitate deificares, ac beatificares : Eya fac vt te Deum & hominem viua fide semper credentes, per te Deo Patri reconciliemur : tuisque humanis actionibus ac passionibus communicãtes sanctificemur, & tua diuinitate diuini, & beati tandem efficiamur.

3 O AMICE beneuolentissime, beneficẽtissime, & fidelissime, Qui infinito desiderio optas nobis benefacere, & supra omne meritum nostrum, nobis largissimè benefacis: fideliterque & constanter in omnibus aduersis nobis assistis, etiam quando à te auersi tibique inobedientes sumus: Eya fac vt & nos omne bonum, & gloriam, tuæque voluntatis impletionem tibi semper optemus, & pro viribus procuremus, ac inde gaudeamus; nullisque aduersis, aut prosperis à tuo amore, & charitate separemur.

Quintum Ternarium.

4 PRAECEPTOR Excellentissime, iustissime & vtilissime: Cuius est quodcunque volueris præcipere, quique nihil præcipis quod non sit æquissimum, & nobis vtilissimum: Eya da vt vigilanter semper attendamus, & inquiramus quid nobis præcipias, illudque iustum, & salutare prorsus esse credentes, reuerenter, amanter, & fideliter impleamus.

5 O MAGISTER sapientissime, prudentissime, & potentissime, Qui omnia scis, prudenterque vnumquemque pro sua capacitate

doces, cum poteſtate, & efficacia: Eya ſuſcipe nos, & adſcribe in tuos diſcipulos, quos prudenter, & efficaciter doces, & dirigis.

6 O LEGIFER ſanctiſſime, diſcretiſſime, & ſuauiſſime, Qui in cordibus electorũ tuorum ſcribis, & imprimis legem geminæ charitatis puram, perfectam, in commutabilem, diſcretam, & ſuauiſſimam: omnium legum ſanctarum plenitudinem in ſe cõtinentem: Eya ſcribe, quæſumus, & efficaciter inſere cordibus noſtris hanc charitatis legem, per quam te vnitrinum Deum, toto corde in omnibus, & ſuper omnia amemus, & proximum omnem, ſicut noſipſos, in te, & propter te, ac ſecundum te.

Sextum Ternarium.

7 O PASTOR bone, Qui angelos, & Beatos paſcis, & ſatias tuæ diuinitatis beatifica viſione, & fruitione, & nos oues tuas in huius exilij miſeria degentes, errãtes requiris, abiectos reducis, confrractos alligas, infirmos conſolidas, ægrotos ſanas, quod forte eſt, & pingue in nobis cuſtodis, noſque in iudicio, & iuſtitia paſcis multiplicib. paſcuis, agnoſcens & vocans nos ex nomine, lupumque & aduerſarium omnẽ à nobis repellens, & accubare nos per ſecuram in te obdormitionem faciens, donec vitam æternam nobis dones tecum in gloria: Eya fac vt te paſtorem noſtrum ſupremum, & optimum ſemper agnoſcamus, vocem tuam audiamus, nõ alienorũ: te ſolum ſequamur, tibi adhæreamus,

mus, à te requiramur; reducamur, alligemur, consolidemur, sanemur, custodiamur, pascamus, agnoscamur, defendamur, & in te sperantes, nosque totos tibi resignantes, securi accubemus, donec ad vitam æternam nos tecum introducas.

8 O HOSPES & conuiua dulcissime, Qui tibi ad ostium cordis pulsanti aperientibus, gratiæ tuæ dona infundis, quibus corda eorum purgas, exornas, & tuæ habitationi digna præparas, sicque in ea ingrederis, & inhabitas delitiosè, insuper etiam afferens cibos spiritualium charismatum, quibus ipsi vescantur, & donans eis desideria sancta, & iusta opera, quibus libenter pasceris, sicque cœnam & conuiuium suauissimum cum eis facis: Eya fac vt te pulsantem aduertamus, tibique statim aperiamus, vt tu præparatum per gratiam tuam cor nostrum ingrediaris, & in eo delitiosè inhabites, & de tuis donis, ac datis nobiscum cœnes ad tuam gloriam sempiternam.

9 O VISITATOR, corrector, & reformator optimè, Qui electos tuos benigne visitas, intima eorũ perfectè scrutaris, defectus eorũ prudenter illis reuelas, ac in misericordia corripis, & quidquid vitiosũ est euellis, dissipas, & destruis, quæ verò tibi placent, ædificas, plantas & perficis: sicque eos plenè reformas, & in pace relinquis: Eya sic nos, quęsumus, salubriter visita, & hęc in nobis clemẽter operare: nostros defectus detegens, corrigens, & reformans. Dona etiam his, quib. visitationis domorum facienda cura commissa

eſt,vt prædicta omnia,eadem tecum charitate per gratiam tuam perficiant,benignè,& ex amore viſitent: diligenter vitia ſcrutentur, diſcretè ea reuelent:iuſtè, & miſericorditer corripiãt,quæ vitioſa ſunt,euellant,diſſipent & deſtruant:quæ verò bona ſunt,plantent,& ædificent,omnia in melius teforment, & in viſitatis domibus pacem relinquant.

Septimum Ternarium.

1 O CREDITOR opulentiſſime,promptiſſime, prudentiſſime, exactiſſime,benigniſſime,& ſeueriſſime. Qui diues in omnes qui te requirunt, promptiſſimè talenta tua ſecundum vniuſcuiuſque indigentiam & virtutem prudenter diſtribuis, & mutuas: exactamque de illis rationem requiris, ac eos quidem,qui in eis operati ſunt,& lucrum fecerunt,ad te cum gratitudine redeuntes, lucrumque factum tibi referentes, benignè, & hilariter in gaudium tuum,& dominium introducis.Eos verò,qui accepta talenta, aut in terra abſconderunt, vel in ſudario ligarunt, aut diſſipauerunt,vel qui erga ſuos debitores diri,& immiſericordes fuerunt,ſeuerè punis & in tenebras exteriores mittis:Eya fac vt ad te in omni noſtra indigentia confidenter accedamus,congrua nobis talenta,& dona à te recipiamus,& in eis ſtrenuè operantes, lucrum faciamus,& cum gratitudine tibi referamus, ſicque ſicut vis in gaudium tuum introducamur,& regnum, ad tuam gloriã ſempiternam.

2 O FIDEIVSSOR noster sufficientissime, fidelissime, & creditori Deo patri acceptissime, Qui de sufficientissimo tuæ vitæ, & passionis thesauro, fideliter pro his, qui te inuocant, & tibi obtemperãt Deo patri persoluis, & supples quicquid de acceptis talentis amiserunt, dissipauerũt, vel minùs dignè & fructuosè detinuerunt, eosque reddis acceptos, & gratos eidem patri tuo, qui in te semper complacuit: Eya spõde, obsecramus, nunc, & semper, & maximè in hora mortis, & supple pro nobis ac persolue, quidquid de acceptis bonis nostra culpa, & negligentia perdidimus, destruximus, polluimus, vel inutiliter retinuimus, & nos patri tuo reconcilia, & gratifica.

3 O RESTAVRATOR, viuificator, & retributor donorum, meritorum benignissime, Qui dona deperdita benignè restauras, bona opera per peccatum mortificata, in pœnitentibus rursus viuificas: & nouas gratias retribuis: faciens aliquando superabundare gratiam, vbi abundauit delictum: Eya fac nos sic veraciter pœnitere, vt omnia in nobis deperdita restaures, mortificata viuifices, & nouæ gratię abundantiam dignanter retribuas.

Octauum Ternarium.

4 O PROTECTOR noster potentissime, Qui te diligentes potenter protegis, & defendis ab omnibus impugnationibus, tentationibus, periculis mundi, carnis & diabo-

li: Eya nos variis hoſtibus vndique & vbique obſeſſos, ab omni malo protege.

5 O CVSTOS vigilantiſſime, prudentiſſime, & fideliſſime; Qui neque dormis, neque dormitas, ſed die ac nocte ſupra cuſtodiam noſtram vigilas, omneſque hoſtium noſtrorum inſidias, & laqueos clariſſimè vides, & prudenter nobis detegis, doceſque qualiter ab eis liberari, & præſeruari poſsimus: Eya fac vt tecum, & ad te ſemper vigilemus: & per te, omnes laqueos inimicorum diſcernamus, & prudenter fugiamus.

6 O MEDICE potentiſſime, ſapientiſſime, & benigniſſime, Qui ſolo verbo, vel voluntate, potes omnes morbos animæ & corporis auertere, & ſanare, eoſdemque perfectè noſti, & quæ magis congrua ſint illis remedia, ſapienter diſcernis, & cum ſis piiſſimus, omnes vis ſanos, & ſaluos fieri, ſi quod in ſe eſt fecerint, & tibi obtemperare voluerint: Eya ſicut potes, ſicut ſcis, & ſicut vis, omnes noſtras infirmitates mentis, & corporis ſana, & ab his nos præſerua: Quod vt fiat, fac nos eaſdem noſtras infirmitates, & quæ ſint ad eas curandas conuenientiora remedia, ex te agnoſcere, tibiq; perfectè obtemperare.

Nonum Ternarium.

7 O LIBERATOR fortiſſime, Qui de manu fortis armati diaboli, & de captiuitate ac ſeruitute peccati, ac prauæ conſuetudi-

nis,

nis, tandemque de custodia, & carcere huius miseri exilij, electos tuos, tu fortior cunctis, liberas: Eya libera & præserua semper ab hac triplici captiuitate, & seruitute diaboli, peccati, & præsentis miseriæ.

8 O IESV Saluator piissime, Qui populum tuum saluas & præseruas à peccatis, peccatorumque vulneribus, & pœnis promeritis: Eya fac, vt secundùm nomen tuum sit & laus tua: salua nos semper; & præserua ab omnibus peccatorum nostrorum offensis, vulneribus, & pœnis nociuis.

9 O LIBERTATIS & pacis conseruator optime, Qui diligentes te, ab omni mala perturbatione & passione liberans: multa spiritus libertate & pace semper facis gaudere, etiam inter quascumque pressuras: Eya fac nos sic te fideliter & perseueranter diligere: vt nullis nos sinas perturbationibus, timoribus, vel inordinatis passionibus concuti, & à libertate spiritus, & interna pace dimoueri.

Decimum Ternarium.

10 O DEVS vere & perfectissime, Qui es creator & conseruator omnium potentissimus, sapientissimus, & benignissimus: Eya fac nos te solum super omnia, & in omnibus adorare, glorificare, amare, & grato obsequio propter te colere.

11 O HOMO vere & perfectissime, fili Deus, Qui pro nostra salute assumpsisti, & personaliter tuæ diuinitati vniuisti corpus

huma-

humanum, complexione & omni habitudine perfectissimum, purissimum, tenerrimũ, speciosissimum, & optimum: animamque omnis culpæ prorsus expertem, omni gratia & virtute plenissimam, & in omnibus suis viribus viuacissimam, ac ordinatissimam: ac in spiritu semper beatam: sicque factus es homo verissimus, perfectissimus & superamabilisimus: Eya, corpore tuo sanctissimo, corpus nostrum castifica: & ad omnia tibi placita conforta. Anima tua nobilissima, animam nostram sanctifica, exorna & in omnibus iuxta tuum beneplacitum rege & ordina. Spiritum nostrum tuo eleuatisimo & beatissimo spiritu viuifica, eleua, beatifica; sicque nos tuæ redemptionis & salutis effice participes.

12 O OMNIA causans, conseruans, & supereminenter in te continens Deus, & super omnia in omni bonitate, & perfectione in infinitum eleuatus & exaltatus: Eya fac vt te solum in omnibus, & omnia in te solo, & propter te solum; teque super omnia semper amemus; tibique ex amore iuxta tuum beneplacitum seruiamus.

EXPLI-

EXPLICATIO DECADIS Quintæ, continentis alia Ternaria nominum Dei amabilium, quorum secunda Christo, quatenus est homo, magis conueniunt.

CAPVT XIIII.

Primum Ternarium.

1 O PATER MISERICORDIARVM, Cui proprium est misereri semper & parcere, omniumque misereris, quos tuos fide & opere futuros esse prænoscis: multa peccata, multis, multoties dimittens, & gratiam retribuens: Eya fac vt ad tuam plusquam paternã misericordiam semper cum fiducia accedamus, & ex ea peccatorum veniam, miseriarum liberationem, & gratiæ tuæ abundantiam exoremus & efficaciter recipiamus.

2 O PARTICEPS NOSTRARVM miseriarum Fili Deus: Qui cum in forma Dei, æqualis esses Deo patri æterno, & beatissimo: serui formam pro nobis assumpsisti: in qua omnes nostras miserias (præter culpam & ignorantiam) ideò suscipere & sustinere voluisti: vt formam & modum eos fructuosè patiendi in te exprimens: ab æternis miseriis nos liberares, & præsentes miserias nobis fructuosas & vitæ æternæ meritorias

effice

efficeres: ſi tamen illas eadem tecum humilitate, patientia, & charitate toleraremus: Eya fac, vt tuo exemplo, merito, & dono, tam humiliter, manſuetè, & amanter huius exilij miſerias, in vnione earum quas tu pro nobis perferre dignatus es, patiamur: vt & ab æternis pœnis liberemur, & pro ſingulis quæ hic patimur, in cœlo tecum glorificemur.

3 O DEVS TOTIVS CONSOLATIONIS, Qui diligentes te, in omni eorum tribulatione, conſolaris fructibus ſpiritualibus, & opportuno tempore ac modo ab illis eos liberas, ac copioſè remuneras: Eya da nobis in omni neceſſitate, & tribulatione auxilium opportunum; & veram in te conſolationem, ac ſalutarem liberationem quærere, & inuenire.

Secundum Ternarium.

4 O PATER FVTVRI SECVLI, Qui es futuræ reſurrectionis parens & author: ac cœleſtis patriæ & hæreditatis largitor: imò, qui es etiam ipſa noſtra patria, hæreditas, & merces tota, quam expectare, & ad quam totis deſideriis, & ſtudiis properare debemus: Eya fac vt iugiter ad te ſuſpiremus: omnia propter te agamus, dimittamus & patiamur: teque ſolum pro patria & hæreditate noſtra, omniumque laborum noſtrorum præmio ſupereffluentiſſimo expectemus, & quæramus.

5 O DVX ET COMES itineris no-

ſtri ad patriam cœleſtem, Qui veram viam ad patriam cœleſtem in humana tua conuerſatione & paſſione; exemplo & verbo nobis oſtendiſti, & prior perambulaſti: quiq́ue in cordibus fidelium tuorum inhabitás, in hac via eos comitaris, & compendioſiores ſemitas ad patriam, eos intus doces: Eya fac vt te ducem, eadem qua hîc ambulaſti via, ſequamur, teq́ue intus nos docentem audiamus, & tibi obediamus.

6 O SVBLEVATOR ET CONSOLATOR in omni huius viæ & peregrinationis neceſſitate, Qui viam vitæ perambulantes, ſi quando impellantur & cadant, benignè ſuſcipis, & ſubleuas, feſſos recreas, debiles confortas, mœſtos conſolaris, & ne deficiant in via, multipliciter paſcis & ſuſtentas: Eya fac nos in via ſalutis quotidie progredi, & proficere: noſq́ue labentes erige, laſſos refice, triſtes lætifica, deficientes paſce, & ad patriam fœliciter tandem peruenire concede.

Tertium Ternarium.

7 O REX PERENNIS GLORIAE, Qui in cœlo, & in ſanctis tuis regnas cum æterna ſecuritate, & opulentia ſumma: cum mira ſerenitate, & immarceſſibili gloria, cum plena ſuauitate, & omnimoda beatitudine: Eya fac nos tuam hanc gloriam nunc per fidem ſpeculari, laudare & prægustare; ad eamq́ue toto corde iugiter aſpirare & cōtendere.

8 O EXILII NOSTRI PARTICEPS, & ſocie fili DEVS, Qui pro noſtra redemptione, inſtructione, & adiutorio dignatus es ſubire huius exilij penurias, humiliationes, & miſerias: vt de exilio ad regnum gloriæ tecum nos transferres: Eya fac nos tui amore, & imitatione, dono, & merito voluntariè, & hilariter amplecti, & tolerare quamcumque volueris, aut permiſeris, penuriam, confuſionem, & pœnam ac dolorem: ſicque hic tecum compati, vt poſtea tecum glorificemur.

9 O PARACLETE & conſolator optime: Qui in cordibus electorum poſtulas gemitibus inenarrabilibus: eoſdemq; hic conſolaris præſentium tuorum munerum & gratiarum exhibitione, & futurorum ſpe & expectatione: Eya fac nos ardentibus deſideriis gratiam tuam, & ſalutaria quæque à te exorare: & ſpreta omni aliena conſolatione, eam ſolum quæ tibi placet, quærere & obtinere.

Quartum Ternarium.

1 O DOMINATOR MITISSIME, Qui cum omni tranquillitate & manſuetudine electis tuis dominaris: iugum ſuaue & onus leue illis imponens, eoſque laborantes & oneratos benignè reficiens: Eya liberè, quæſumus, & plenè noſtri dominare: & fac nos in manſuetudine mandata tua ex amore implere: iugumque tuum ſuaue, & onus leue experiri, & in laboribus & tribulationi-

bus à te refici, & confortari.

2 O MINISTRATOR OFFICIOSISSIME, Qui in hunc mundum venisti non ministrari, sed ministrare, & dare animam tuam in nostri redemptionem: qui etiam teipsum totum fidelibus donas & ministras in Eucharistiæ sacramento, & in præmium reseruas in cœlo: Eya fac vt & nos amanter, & hilariter tibi, & proximis omnibus propter te, & secundùm te, ministremus, & seruiamus; teque in sacramento, deuotè suscipientes: nos totos tibi in omne beneplacitum tuum offeramus, & resignemus: vt & tu digneris post hanc vitam facere in regno tuo nos discumbere; & transiens nobis tuæ diuinitatis fruitionem ministrare, & conferre.

3 O AMATOR ARDENTISSIME, Qui ardenti, efficaci & continuo amore nostram salutem concupiscis: omniaque ad eam necessaria & condecentia, benignè & abundè nobis offers & exhibes: Eya fac nos ardenti, efficaci & continuo amore tuum honorem & beneplacitum, in omnibus desiderare, & procurare: tuæque gratiæ cooperari, & remedia salutis, quæ nobis offers, studiosè amplecti.

Quintum Ternarium.

4 O INSTRVCTOR MANSVETISSIME, Qui à sapientibus seculi & superbia tumentibus salutis scientiam abscondens: eam paruulis, humilibus, & simpli-

cibus reuelas: mitesque doces vias tuas, & mansuetos in iudicio dirigis: Eya purga, & præserua nos ab omni mundana sapientia, prudentia carnis & superbia, & fac nos cum vera cordis humilitate, & simplicitate, sciẽtiam salutis ex te addiscere: paternaq; tua iudicia, & flagella sic mansuetè & patienter suscipere & tolerare, vt per ea erudiri & salubriter doceri possimus.

5 O CONSVLTOR PRVDENTISSIME, Qui exemplo & verbo Euangelica consilia consuluisti, nobisque in quibuslibet dubiis te humiliter, deuotè, & fideliter consulentibus, per te, vel tuos vicarios consulis, quid agendum fugiendumque vel omittendum sit: Eya fac nos Euangelica consilia, tanquam charismata meliora, tui amore & imitatione, tuoque merito & dono æmulari, & ardenter sectari: teque in omni dubio humiliter, deuotè & fideliter consulere, ex te intelligere quid tibi sit gratum, & illud perfectè implere.

6 O ADIVTOR FORTISSIME, Qui diligentes te excitas, & accendis ad desiderandum ea quæ tibi sunt placita: eosque adiuuas, & confortas ad illa aggredienda, prosequenda & perficienda: Eya inclina cor nostrum in testimonia, & consilia tua: excita teporem nostrum, pusillanimitatem erige, & adiuua infirmitatem: vt quæ nobis à te, vel vicarijs tuis sunt præcepta, vel consulta, amemus, desideremus, viriliterque & magnanimiter aggrediamur, prosequamur, & perficiamus.

Sextum Ternarium.

7 O IMPERATOR SVMME, Cuius imperio omnia cœlestia, terrestria & inferna ad nutum parent, & curuant genua: cui militat omnis cœlestis exercitus: & vniuersa hîc adhuc degens Ecclesia tua Catholica: Eya fac nos voluntariè & ex amore tibi semper in omnibus subiici, & obedire: atque cum adiutorio cœlestis exercitus, fortiter contra hostes tuos, & nostros decertando tibi militare, iuxta tuum beneplacitum, ad gloriam tuam.

8 O DVX ET PVGNATOR fortissime & inuictissime, Qui prior ad pugnam cōtra hostes nostræ salutis processisti: eosque crucis tuæ virtute, & assumptæ carnis infirmitate, fortiter debellasti: & electos tuos ad similiter decertandum excitas, comitaris, & adiuuas: in eis, & pro eis, atque cum illis pugnans, & hostes feriens: Eya fac nos tuo exemplo, & merito tuæ crucis, & assumptæ carnis, viriliter mundo, carni, & diabolo, omnibusque quæ tibi displicent, resistere: teque in pugna nos comitantem, & in nobis, ac pro nobis certantem experiri, ac sentire.

9 O TRIVMPHATOR semper magnificè, Qui de cunctis hostibus magnificè, sicut vis, & quando vis, semper triumphas, & tui amore legitimè certantes, triumphare facis, & magnificè coronas: Eya fac nos sic legitimè & constanter vsque in finem, bonum certamen certare, vt tecum

triumphare, & coronari poſſimus.

Septimum Ternarium.

1 O BONORVM OMNIVM LARGITOR opulentiſſime, liberaliſſime, & magnificentiſſime, Qui diues in omnes, qui te inuocant, exiſtens liberaliter & gratis; abſque præuio merito, vel ſperata retributione, dona tua & bona affluenter, ſecundùm tuam regiam magnificentiam das omnibus, qui ſe ad ea percipienda per gratiam tuam dignè coaptant: à quo etiam omne bonum in creaturas omnes effluxit, effluit, & effluet vſque in finem. Eya fac vt omnia bona quæ in nobis, & cæteris creaturis ſunt, à te gratis data recognoſcamus: & illis ad tuum honorem, iuxta tuum beneplacitum vtamur: fiducialiterque bona nobis ſalutaria à te requiramus, & ad ea ſuſcipienda nos per gratiam tuam coaptemus.

2 O MEDIATOR ET PROCVRATOR noſter, ſumme ſacerdos, Pontifex & Epiſcope animarum noſtrarum Chriſte IESV: qui inter Deum patrem & nos medius & ſequeſter, iugiter pro nobis interpellas, & bona procuras: Ac tanquam ſacerdos & Pontifex noſter, teipſum in ſacrificium acceptiſſimum eidem patri tuo pro nobis in cruce obtuliſti: & adhuc quotidie in Miſſa offers, & offerris: iſtaque oblatione, ſalutaria quæque nobis abundè impetras, & efficaciter obtines. Eya nunc, & ſemper, & maximè in hora mortis noſtræ, pro nobis inter-

interpella, teipſumque in omnigenam hoſtiam patri tuo offerens, omnia noſtræ ſaluti vtilia ab ipſo nobis impetra, & cum ipſo dona.

3 O DATORVM CONSERVATOR, multiplicator, & remunerator: qui in humilibus, gratis, & ſtrenuè laborantibus dona gratiarum tuarum conſeruas, & multiplicas: faciens eos ex acceptis talentis lucra tibi referre: pro quibus illos etiam copiosè, & ſupereffluenter remuneras. Eya fac nos per veram cordis humilitatem, & gratitudinem dona tua retinere, & cuſtodire: per ſtrenuam in eis operationem lucrum ex eis facere: tibique illud acceptum ferendo, & offerendo, in gaudium tuum introduci.

Octauum Ternarium.

4 O TVTOR PIISSIME, PROVIDENTISSIME, & validiſſime: qui nos orphanos in tuam tutelam piè ſuſcipis: pluſquam paterna pietate nobis in omnibus prouides & ſuccurris: potenterque tueris & protegis ab omnibus hoſtibus, periculis & malis: ſi tamen tibi conſtanter per fidem, ſpem, & charitatem adhæſerimus. Eya fac nos ſemper in omni periculo, & neceſſitate, ad tuam tutelam & protectionem fiducialiter confugere: omnem ſollicitudinem anxiam, & vanum timorem, in tuam paternam curam & proui-

dentiam proiicere, & ab omnibus periculis & malis te protegente eripi, & te liberante saluari.

5 O SAMARITANE MISERICORDISSIME, Qui humanum genus de cœlesti Hierusalem in terram Hiericho delapsum, & à latronibus spoliatum, vulneratum, & semiuiuum relictum, non despexisti: sed misericordia motus, eidem per carnis assumptionem appropinquasti: vulneribus eius vinum & oleum infudisti, eademq; alligasti: ac iumento tui corporis illum imposuisti, ad stabulum Ecclesiæ tuæ deduxisti: curam eius egisti, & recedens hinc, datis stabulario duobus denariis, vt curam eius haberet, commendasti: Eya eadem, quæsumus, charitate miserere nostri, & appropinquans nobis, vulneribus nostris misericordiæ & spei oleum, vinumque iustitiæ, & timoris infunde, & per continentiam eadem alliga: atque passionis tuę satisfactionem & meritum patri tuo pro nostris peccatis offerens, iumento tuo nos impone, & in stabulo Ecclesiæ tuæ nos per gratiam tuam collocatos, stabulario, hoc est, prælatis nostris, vt curam nostri habeant commenda: donans illis charitatem & scientiam ad hoc necessariam.

6 O CVRATOR OPTIME, Qui in stabulo Ecclesiæ nos retinens & permanere faciens, multiplicibus gratiæ donis & fomentis curam nostri habes, sanans infirmitates nostras, salutaria quæque nobis prouidens, & ad opera virtutum tibi pla-

cita nos excitans, & confortans: Eya, digneris iſta omnia, ſicut potes, ſcis, & vis, in nobis implere, ad tuam gloriam ſempiternam.

Nonum Ternarium.

7 O PATER ANTIQVE DIERVM, Conſpector ſeculorum, & ordinator tęmporum: qui es ante ſæcula Deus æternus, cunctorum ſæculorum progreſſum, & diſpoſitionem ab æterno proſpiciens, & clarè intuens, & omnia tempora ordinatione ſapienti diſponens: Eya fac nos te æternum patrem ſemper ſummè venerari, omnia occurrentia de paternæ tuæ prouidentiæ diſpoſitione & ordinatione, prudenter & cum laude & gratitudine ſuſcipere, & in omnibus, ſemper & vbiquē, tua ordinatione prudenter dirigi & gubernari.

8 O IVVENIS FORTISSIME, Candide & rubicunde, electe ex millibus & prę-electe IESV, Qui per carnis noſtræ aſſumptionem factus es homo, & iuuenis prę filiis hominum ſpecioſus: innocentia & virtutum decore candidus, ac rubicundus roſeo paſſionis tuæ cruore, quem ſanctorum caſtæ animæ in ſponſum præ omnibus eligunt, amplectuntur & colunt: Eya tua ſpecies & pulchritudo ſic nos afficiat, & alliciat, vt cæteris abrenunciantes, te ſolum ſpōſum animarum noſtrarum amemus, deſideremus, præeligamus, & amplectamur.

9 O ZELATOR caſtiſſime, & affector

lenissime, & blanditor delicatissime, Qui corriualem non patiens, solus & totus vis à nobis castè amari: eosque qui carnis desideria sectantes, fornicantur abs te, forti zelo corripis: eos verò qui fideliter tibi casto amore adhærent, suauissimè afficis, & delicatissimè illis blandiris: deliciarum tuarum torrente potans eos, & inebrians. Eya fac vt te solum, & totum castè super omnia diligamus: & si quando fornicemur abs te, statim à te misericorditer corripiamur & sanctificemur: sicque fideliter & feruenter tibi adhærere & vacare studeamus, vt tandem aliquando, prout volueris, deliciis tuis & voluptate potemur & inebriemur: ad tuam perpetuam gloriam.

Decimum Ternarium.

10 O ADOPTATOR BENIGNISSIME, Qui nos iræ & damnationis filios, à promerita damnatione liberans, ex purissima charitate, & nimia benignitate, per fidem viuam in filios adoptasti: hæredesque gloriæ tuæ instituisti. Eya nos qui post tam benignam adoptionem, voluntariè peccantes, iram tuam meruimus, & adoptionis gratiam, & fructum perdidimus: sic fac dignè pœnitere, vt rursus iram tuam à nobis auertas: adoptionisq; donum, & spiritum restituas: in quo possimus clamare, Abba pater, & hæreditatis tuę cœlestis spem & desiderium in nobis confirmes.

11 O PROMISSOR fideliſſime, qui veraciter, & fideliter promiſiſti pœnitentibus veniam: facientibus quod in ſe eſt, gratiam, & auxilium opportunum: & perſeuerantibus in te, legitimeque certantibus coronam æternam: Eya fac nos ſic veraciter pœnitere, vt plenam veniam conſequamur, ſic quod in nobis eſt facere, vt efficaciter à te iuuemur: ſic legitimè pugnare, & perſeuerare, vt vincamus, & coronemur.

12 O REDDITOR certiſſime, Qui nec à voluntate tua (qua miſericordiam, & gratiam promiſiſti,) mutaris vnquam, vel tepeſcis: nec ab vllo prorſus impediri potes quin eam, prout vis, impleas: ſed potentiſſimè, & certiſſimè omnia à te promiſſa, opportuno tempore reddis, his qui obicem non ponunt: Eya fac vt in fide promiſſorum tuorum nunquàm hæſitemus: ſed quod in nobis eſt facientes, ea patienter, & longanimiter implenda congruo tempore ſperemus, & expectemus, Amen.

SEQVITVR EXPLICAtio obſecrationũ per Decades in tabula ſupraſcripta diſpoſitarũ. Atque in primis ſequitur expoſitio primæ Decadis cõtinentis decem ternaria perfectionũ ſuperſanctiſſimæ Trinitatis.

CAP. XV.

ANNOTATIO.

DEuote Lector & exercitator, poteris his Superſanctiſsimæ Trinitatis perfectionibus vti ad exercitium amoroſæ congratulationis & laudis, præmittendo ſingulis ternarijs, aut etiam ſingulis perfectionibus (prout deuotionem magis iuuabit) quod ſequitur : O Superſanctiſſima Trinitas, vnus Deus, amans & laudans congratulor tibi pro fœcunditate tua perfectiſſima, vel pro hac perfectione.

Primum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſicut ſcis, & ſicut vis, noſtri miſerere, & exaudi nos.

1 PER tuam perfectiſſimam fœcunditatem : qua tu Pater ab æterno teipſum, & omnia perfectiſſimè intelligendo, verbum perfectiſſimum, tibi conſubſtantiale, & per

omnia simile, & coæquale ab æterno genuisti, verum & vnicum filium tuum. Et qua tu Pater, Filium perfectissimè amans, & tu Fili, æqualiter Patrem diligens, spirastis ab æterno, & produxistis Spiritum sanctum: hoc est, amorem vestrum mutuum, vobis per omnia consubstantialem, coæternum, coæqualem, condilectum, & condiligentem: Qua denique tu Pater, Filius, & Spiritus sanctus, vnitrinus Deus, vnicumque primum omnium rerum principium, omnia creata in tempore produxisti, & adhuc quotidiè producis.

2 PER tuam communicationem liberalissimam: qua tu Pater quicquid es, & habes, Filio tuo per æternam generationem liberalissimè donasti: Et qua tu Pater, & Filius, Spiritui sancto per æternam eius spirationem, omnem vestram essentiam & virtutem cõmunicastis, & qua tu Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnitrinus Deus, creaturis singulis, tuam bonitatem, & perfectionem, pro singularũ conditione, capacitate, & virtute communicas.

3 PER tuam intimam familiaritatem, qua tu Pater, Filium, & Spiritum sanctum, Tu Fili, Patrem, & Spiritum sanctum, & tu Spiritus sancte, Patrem, & Filium, familiarissimè diligis, omnia cum illis prorsus habens communia, qua etiam tu vnitrine Deus, diligis omnia quę fecisti, & speciales amicos tuos, intima & familiari familiaritate prosequeris, & amplecteris.

Secundum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & misericors, sicut potes, sicut scis, & vis, nostri miserere, & exaudi nos,

4 PER tuam essentialem vnitatem: quæ talis est, vt in tribus personis vna prorsus & eadem sit essentia, virtus, & perfectio, quam Deus Pater, à temetipso habens, eam liberaliter, & integrè per æternam generationem Filio tuo communicas, & quam tu Pater & Fili, mutua dilectione ab æterno Spiritum sanctum simul spirantes, eidem donatis, & communicatis.

6 PER tuam personalem proprietatem, qua tibi soli (ô pater) competit filium gignere: Atque à nullo esse, vel generari, aut procedere: & qua tibi (ô Fili) conuenit à Patre generari, & cum Patre Spiritum sanctum spirare: & qua tibi (ô Spiritus sancte) proprium est à Patre, & Filio sese mutuo amantibus, procedere & spirari: vtriusque amor condilectus, condiligens, & amorem Dei in cordibus nostris diffundens.

6 PER tuam dulcissimam societatem, Quæ solitudinis tristitiam nesciens, mutuæ societatis ineffabilem habet iucunditatem: qua tu pater in Filij & Spiritus sancti: Tu Fili, in Patris & Spiritus sancti: Tu Spiritus sancte, in Patris & Filij, societate amabilissima, & iucundissima, summè complaces & delectaris in æternum.

Tertium Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens & misericors, sicut potes, scis, & vis nostri miserere, & exaudi nos:

7 PER tuam dignitatem, & sublimitatem incomprehensibilem: qua nihil cogitari aut esse potest dignius aut sublimius, à qua est omnis dignitas, & sublimitas excellentium creaturarum: & quæ omnem dignitatem, & sublimitatem creatam, infinita virtute, perfectione, & omnimoda bonitate excedit.

8 PER tuam gloriosissimam, & perfectam fœlicitatem: Cui nihil gloriæ aut fœlicitatis deest: Cui nihil addi, aut detrahi potest: à qua est omnis gloria, & fœlicitas sanctorum.

9 PER tuam incontaminabilem puritatem, & fontalem sanctitatem, quæ omnis materiæ, passiuæ potentiæ, & cuiuslibet accidentis, & extraneæ qualitatis prorsus expers: solam purissimam, & simplicissimam habet essentiam, perfectam & incommutabilem: in quam nihil inquinatum & impurum incurrit, aut appropinquat: à qua oritur, & conseruatur omnis puritas, & sanctitas sanctorum omnium.

Quartum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & misericors, sicut potes, scis, & vis nostri miserere, & exaudi nos.

1 PER tuam immortalitatem perfectissimam: quæ sicut nullum habet principium, sic nec vllum finem vnquam est habitura: quæ nullum esse, nullamque formam de nouo recipit, aut amittit: sed in vnico, eodem, & vniformi esse, simplicissimaq; forma semper perseuerat: à qua ortum habet, & conseruatur, omnis beatorum spirituum & animarum immortalitas.

2 PER tuam omnimodam incommutabilitatem: quę nullam prorsus transmutationem, aut vicissitudinis obumbrationem admittit. sed varias rerum mutationes & effectus absque vlla sui mutatione & varietate perficit. Et licèt contingentia futura nouerit infallibiliter, eadem tamen contingenter & liberè fieri, & euenire permittit.

3 PER tuam fœlicissimam necessitatem, qua fit vt tu Deus altissimus nullatenùs possis vel non esse, vel alius, aut aliter quàm sis: sed necesse prorsus est te esse, & talem qualis es, esse: quia etiam omnis tua actio & communicatio ad intra prorsus est necessaria & incommutabilis, voluntaria tamen & delitiosissima, qua denique tua operatio ad extra, in creatione & gubernatione creaturarum, in sua quidem radice & fonte, quæ est diuina potentia, sapientia, & voluntas) prorsus est incommutabilis & necessaria, in effectibus tamen variatur, quos absque vlla coactione, liberè & voluntariè producit: tempore & modo, ab æterno à te præuisis, & constitutis.

Quintum Ternarium.

O Vnitrine Deus omnipotens, & miseri-cors, ſicut potes, ſcis & vis, noſtri miſerere, & exaudi nos.

4 PER tuam primitatem abſolutiſſimam, quæ ab æterno ſine principio exiſtens, omnibus creatis in infinitum prior eſt, nihil habēs ſe prius, nec ſibi coæternum:

5 PER tuam nobilitatem illuſtriſſimam, qua nihil eſt origine, diuitijs, dignitate, & famæ claritate antiquius vel coæternum, à qua eſt & conſeruatur omnis nobilitas, ingenuitas, generoſitas & illuſtris claritas omnium nobilium: Per quam amici tui & ſancti verè nobiles & illuſtres ſunt.

6 PER tuam libertatem pleniſſimam: quæ talis eſt, vt nullatenùs poſſis cogi aliquid contra tuam volũtatem agere: nec impediri, quin omne quod volueris in cœlo, & in terra perficias: ſed voluntariè & cum ſuauiſſima & pleniſſima libertate omnia operaris, & tibi per amorem adhærentes verè liberos facis.

Sextum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſcis & vis, noſtri miſerere, & exaudi nos.

7 PER tuam coæternitatem, & conſubſtantialitatem: quæ talis eſt, vt nec tu Pater prior ſis Filio, quem ab æterno tibi conſubſtantialem genuiſti, nec tu Spiritus

ſan-

ſanćte, poſterior ſis Patre, & Filio, à quibus, tanquam ab vno principio, ab æterno procedis & ſpiraris, communem & eandem cum illis habens ſubſtantiam. Sed totæ tres perſonæ ſibi coæternæ prorſus ſunt: nihil prius, nihilq́ue poſterius in ſe habentes.

8 PER tuam coæqualitatem, & conformitatem: qua inter tres perſonas nihil prorſus inuenitur maius aut minus, vel diſſimile: Sed totæ tres perſonæ ſibi inuicem prorſus ſunt æquales, & conformes in eſſentia, potentia & virtute, in ſapientia, claritate & gloria, in voluntate, charitate, bonitate, & omni perfectione.

9 PER tuam germanitatem & amicitiam ſuauiſſimam & indiſſolubilem: qua tres perſonæ ſibi inuicem ſunt proximæ & affines, propter emanationem ad intra Filij à Patre, & Spiritus ſancti à Patre & Filio: ſeq; mutuo indiſſolubili amicitia complectuntur, cum infinita delectatione & voluptate.

Septimum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſcis & vis noſtri miſerere, & exaudi nos.

1 PER tuam incommutabilem æternitatem, quæ nec principium habuit, nec finem eſt habitura; nullamq́ue recipit tranſmutationis viciſſitudinem: Cui etiam neque præterita tranſeunt, nec ſuccedunt futura: ſed omnia ſunt illi præſentia.

2 PER tuam infallibilem veritatem, quę

nec falli poteſt vnquam,nec fallere: ſed vna & eadem ſemper permanens:omniaq́ue prę-noſcens & intuens:quicquid promittit, fideliter implet.

3 PER tuam inæſtimabilem charitatem, qua omnia quæ feciſti amas : & infinita,im-menſa,& nimia dilectione electos tuos proſequeris , omnia tua bona illis communicans : & de eorum bonis, ac beatitudine intime gaudens.

Octauum Ternarium.

O Vnitrine Deus,omnipotens , & miſericors,ſicut potes,ſcis & vis,noſtri miſerere,& exaudi nos.

4 PER tuam æternam ſecuritatem; & ſecuram æternitatem,qua abſque vllo timore, ſecurus in æternū permanes: certiſſimus q̄d tua beatitudo nunquā vel deficere poſſit, vel minui : nec vllus hoſtis tibi vel in minimo nocere,aut voluntati tuæ reſiſtere queat.

5 PER tuam miram ſerenitatem , & claritatem:in qua nullæ ſunt tenebræ vel caligo nec paſſionum nubila, nec vllus error aut falſitas : ſed clariſſima & sereniſſima veritas, omnia liberrimè & perfectiſſimè intuens,diſponens & ordinans,ſapienter & ſuauiter.

6 PER tuam pleniſſimam ſuauitatem,per omnis doloris , & triſtitiæ prorſus expers: perpetuam & perfectiſſimam habet delectationem:& omnium deſiderabilium poſſeſſionem pleniſſimam.

Nonum Ternarium.

O Vnitrine Deus, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſcis & vis, noſtri miſerere, & exaudi nos.

7 PER tuam vnionem, & inexiſtentiam inſeparabilem, qua quælibet perſona à duabus reliquis nullo vnquam tempore, loco vel operatione ad extra, ſeparatur: ſed vbicũque vna eſt, vel operatur ad extra: ibi reliquæ duæ ſunt, & operantur. Per quam inſuper in Patre, totus Filius, & totus Spiritus ſanctus ſemper eſt: & in Filio, totus Pater, & totus Spiritus ſanctus; ac in Spiritu ſancto, totus Pater, & totus Filius, vnione prorſus inſeparabili.

8 PER tuam intuitionem mutuam, & laudem: qua quælibet perſona reliquas duas clariſſimè intuetur perfectiſſimè comprehendit, & altiſſimè laudat, & glorificat aſſiduè.

9 PER tuam mutuam complacentiam, & fruitionem beatiſſimam, qua quęlibet perſona, in duabus reliquis infinitè ſibi complacet, & delectatur, fruitioneque fœliciſſima ſatiatur, & perpetua pace lætatur.

Decimum Ternarium.

O Vnitrine DEVS, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſcis, & vis noſtri miſerere, & exaudi nos

10 PER tuam opulentiam, & ſufficien-

tiam plenissimam: Cui nihil addi potest vel subtrahi: & quæ sibiipsi plenissimè sufficiēs, absque vlla sui diminutione, supereffluenter electis suis sese communicat, eosque spiritualibus bonis ditat.

11 PER tuam gloriam immarcessibilem, & nunquam perituram, infinitam numero, & mensura carentem, clarissimamque, & semper fulgidam, sanctos omnes clarificantem.

12 PER tuam omnimodam beatitudinē, omni miseria prorsus carētem, omnium bonorum cumulo perfectissimè fruentem, omnesque beatos beatificantem.

EXPLICATIO DECADIS obsecrationum per charitatis diuinæ erga nos conditiones.

CAPVT XVI.

Hæc clausula sequens, debet ante singulas decem sequentes charitatis conditiones repeti si separatim dicantur, Si verò continuè omnes aut plures ex illis dicantur, ad secundas sufficiet repetere extremum huius clausulæ scilicet (per tuam erga nos charitatem.)

O Amantissime & benignissime DEVS, Sic potes, scis, & vis, nostri miserere, & exaudi nos, Per tuam erga nos CHARITATEM.

1 AETERNAM, plusquam paternam, & perpetuam: qua ab æterno per prædestinationem nos amasti, & plusquam paterno affectu nos semper prosequeris, foues, & dirigis: Et vsq; in sempiternum per glorificationem nos amabis.

Per tuam erga nos omnes charitatem.

2 INCOMPREHENSIBILEM, profundam & admirabilem: Cuius abyssum nulla creatura penetrare, & comprehédere potest, quæ fecit, vt tu fili Dei teipsum exinanires, humiliares, & non solùm in terras sed vsque ad inferiora terræ descenderes, quam merito stupent & mirantur omnes Angeli & Sancti.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

4 PATIENTEM, longanimen, & benignam: qua patienter nos peccãtes, & te offendentes, ac irritantes toleras, vindictam dissimulas, longanimiterq; ad pœnitentiam diu nos expectas; & ex ignito amore multipliciter nobis benefacis: & ad amandum te nos inuitas.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

4 DVLCEM, cordialem & delitiosam, qua dulci, pio, & suaui affectu & beneuolentia nos prosequeris, cuius dulcedine commotus, carnem nostram assumere dignatus es, eandemque ex nimia cordis tui erga nos teneritudine, & dilectione te in cibum nobis donasti, & reliquisti, per quam denique, delicias tuas reputas esse & inhabitare in cordibus electorum tuorum.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

5 SAPIENTEM, prudentem, & veracem: qua sapienter nostram naturam, & quod in nobis est bonum diligens, peccata nostra odio habes & persequeris: Prudenter ea quæ salutaria sunt nobis optas, & donas: quę vero nociua, denegas, & subtrahis, veraciterque, absque fictione, & dolo, nos amas: & fideliter tua promissa nobis reddis, si in tua dilectione permanserimus.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

6 FORTEM, magnanimem, & constantem, qua fortiter hostes nostræ salutis expugnasti, & adhuc iugiter reprimis & expugnas: Magnanimiter pro nobis in assumpta carne, ardua quæq; aggressus es: Constanterque vsque in finem perseueras nos amare, licet in multis quotidie te offendamus.

Per tuam erga nos omnes
charitatem,

7 GRATVITAM, LIBERALEM, communem, & latissimam: qua gratis absque vllo nostro præcedenti merito, nos prior dilexisti: liberaliter nobis benefacis, nulla à nobis expectata retributione, vel vtilitate tua: communique & latissimo charitatis sinu omnes complecteris, & saluos vis fieri: si tibi obtemperare voluerint: qua etiam solem tuam facis oriri super bonos & malos.

Per tuam erga nos omnes
charitatem,

8 NIMIAM, extaticam, & altissimam; qua tu Deus pater pro seruis nequam, & tuæ maiestatis reis, ꝓprio filio tuo, tibi coæquali & suꝑcharissimo, non pepercisti: sed propter

nimiam charitatem qua dilexisti nos, illum in hunc mundum misisti, & crucis tormentum subire voluisti: & qua tu fili Dei, quasi amore nostri ebrius, & extra te raptus, tuæq; maiestatis & propriæ cõmoditatis quodammodo oblitus, temetipsum exinanisti, formam serui accipiẽs, & proposito tibi gaudio, sustinuisti & amplexus es crucem: in qua excessum humiliationis, doloris & amoris tui nobis ostendisti: Per quam denique charitatem, vsque ad cœlestem gloriam exaltas te diligentes, & passionibus tuis communicantes.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

9 SINGVLAREM, SPONSALEM, & vnitiuam: qua singulariter sic vnumquemq; nostrum diligis, & effectibus amoris prosequeris, ac si illum solum diligeres: qua etiam sponsuli fœdere, animas te diligentium tibi socias, & desponsas; faciens eas participes tuæ mensæ, thalami & regni: atque charitatis glutino illas tibi sic vnis, vt vnus tecum efficiantur spiritus, non per identitatem essentiæ, sed per voluntatis vnionem, & plenam conformitatem.

Per tuam erga nos omnes charitatem,

10 DIVINAM, SVPEREMINENTEM, & immensam: quæ tibi coæterna est & consubstantialis, tu enim ipse, ipsa es charitas qua nos diligis: quæ omnem scientiam, & cognitionem Angelicam & humanã transcendit, & supereminet, mensuramq; & modum omnem excedit: tibi immenso & infinito Deo coæqualis per omnia existens.

¶ Sequens clausula, post singulas decem prædictas charitatis conditiones (si separatim dicantur) aut post omnes quæ fuerint cõmemoratæ, dicenda est.

MISERERE, inquam, nostri, & exaudi nos, DEVS AMANTISSIME, per tuam hãc erga nos tantam & talem charitatem, omnemq́ue eius effectum & plenitudinem: hoc est, per omnia dona, & beneficia ex eadem charitate nobis & cæteris creaturis à te exhibita, vel exhibenda: & per omnem eiusdem charitatis in te, & in sanctis tuis plenitudinem, & perfectionem: per quam omnia imples bonitate, & beneficentia tua.

¶ Si volueris (ô deuote exercitator) prædictis conditionibus diuinæ charitatis vti, ad exercitium laudis, congratulationis, & amorosæ gratiarum actionis, præmitte singulis quod sequitur. (Superamantißime IESV, *Amans laudo te, & congratulans gratias tibi ago, pro tua erga nos charitate tali vel tali) & in fine adde. Atque vtinam tua hac charitate, ad amorem tui nos inflammes, excites & confirmes.*

EXPLICATIO TERTIAE Decadis obſecrationum per feſta Chriſti præcipua, quæ hic diffusè explicantur, vt copioſior habeatur meditandi materia.

CAPVT XVII.

O Vnitrine DEVS, omnipotens, & miſericors, ſicut potes, ſcis, & vis noſtri miſerere, & exaudi nos.

1 PER INCARNATIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: In qua Angelo nunciante, & puriſſima virgine credente, & conſentiente: de eiuſdem virginis ſanguine, verum corpus humanum ſanctiſſimum, & complexione ac omni habitudine perfectiſſimum, eſt operatione Spiritus ſancti, abſque virili ſemine formatum, & anima puriſſima, omni gratia pleniſſima, de nihilo creata, ſtatim eſt eidem corpori infuſa: ac vtrumque eſt à ſecunda perſona altiſſimæ Trinitatis Dei filio aſſumptum: ſibique perſonaliter ſic vnitum, vt ſicut anima rationalis & caro vnus eſt homo, ita Dei filius & homo, vnicus ſit Chriſtus, vnicaque perſona.

O vnitrine DEVS Miſerere noſtri,

2 PER NATIVITATEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: In qua Christus Dei filius, & homo verus, de purissima virgine orante, & in huius tanti mysterij cõtemplatione suspensa & eleuata, media nocte, hyemis tempore, in diuersorio natus est: sine pudore, & maternæ vuluę apertione, salua matris integritate sine dolore cum immẽso matris iubilo, & absque vlla sorde & macula peccati: ab ipsaq́ue matre sua statim est adoratus, amplexatus & osculatus: panis inuolutus, fasciolis ligatus, in præsepio reclinatus: in quibus apparuit verè humilis, pauper, patiens & mitis, amans & obediens, vagiens & orans, esuriens, & strenuus, misericors & gratus, sensibus & corde mundus, pacificus & afflictus: estq́ue ab Angelis nuntiatus & laudatus, à pastoribus visitatus, adoratus, & glorificatus: à matre lactatus, osculatus, & maternis obsequiis cum summa reuerentia & amore fotus, & adiutus.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

3 PER CIRCVNCISIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: In qua octauo die Christus ex purissima charitate, legi cui non erat subditus, obediens, humiliter, tanquam peccator voluit lapideo cultello circuncidi, cruciari, vulnerari, pretiosissimum sanguinem fundere: contritionis & compassionis lachrymas pro peccatis nostris emittere; matri quoque suæ ex com passione materna & pietate flenti condolere: Quando etiam nomen IESV suauissi-

mum, clarissimum, & ad omnem salutem efficacissimum, est ei impositum, & manifestatum.

O vnitrine DEVS Miserere nostri,

4 PER APPARITIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: In qua tres Magi per Prophetæ de stella apparitura oraculum, & per stellæ nouum ortum, atque per interiorem reuelationem, ab oriente, cũ magno labore & feruore, venerunt Hierosolymam, requirere eum, quem verum Deum, verum regem, & verum hominem natum, libera voce confessi sunt, & testimonio prophetarum per scribas edocti quod in Bethleẽ CHRISTVS nasci deberet: stella duce illuc profecti: inuenerunt Iesum paruulum inter brachia materna, in pauperi & humili diuersorio, pannis inuolutum; quem nihilominùs recognoscentes verum regem, Deum & hominẽ, procidentes eum adorauerunt, & eidem munera obtulerunt, aurum Regi, thus Deo, & mirrham homini pro salute nostra morituro. Responsoque per Angelum accepto ne ad Herodem redirent, per aliam viam in suam regionem reuersi sunt: primitiæ gentium existentes.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

5 PER BAPTISMVM, Ieiunium, & tentationem Domini nostri IESV Christi: Qui agnus existens sine macula, peccata mundi tollens: voluit ad Ioannem populos baptizantem, & ad pœnitentiam inuitantem, ve-

lut vnus ex cęteris peccatoribus, accedere, & baptiſmum ab eo petere & ſuſcipere: vt impleret omnem iuſtitiam, hac ſua perfecta humilitate, & ſuæ carnis contactu, aquis vim regeneratiuam per baptiſmi ſacramentum conferret: cumq́ue baptizatus oraret, paterna vox ſuper eum audita eſt dicens: hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Statimq́ue Spiritus ſanctus in ſpecie ſimplicis & gementis columbæ, ſuper eum deſcendit, requieuit, & in deſertum illum duxit: vbi cum feris habitans, & humi recubans. quadraginta diebus manſit, humilis, tacens & ſolitarius: pauper abſtinens & caſtus: frigus & æſtum, famem & ſitim aliaſq́ue multas aſperitates patiēs & mitis: Amans & Deo obediens, lugens & orans, eſuriens iuſtitiam & ſtrenuus: miſericors & iuſtus: ſenſibus & corde mundus, atque in ſpiritu ſemper in Dei contemplationem & fruitionem eleuatus: prudens & pacificus: à Sathana perſecutionem paſſus, & tentatus; Primò de gula, quando dixit ei Sathanas: ſi filius Dei es, dic vt lapides iſti panes fiant: quem Chriſtus ſuperauit, reſpondens: Non in ſolo pane viuit homo; Secundò, de vana gloria Diabolus eum tentauit: quando eum ſupra pinaculum templi ducens, dixit ei; Si filius DEI es, mitte te deorſum: quem Dominus deuicit, reſpondens: Scriptum eſt. Non tentabis Dominum Deum tuum. Poſtremò de cupiditate, & auaritia tētauit Chriſtum Sathanas: quando eum in montem excelſum ducens, eiq́ue omnia regna terræ,

& gloriam eorum ostendens: dixit, hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me: quem confundit & fugauit Christus respondens: Vade sathana, scriptum est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies: fugatoque diabolo statim Angeli accesserunt ad Christum eique ministrauerunt.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

6 PER TRANSFIGVRATIONEM Domini nostri IESV Christi: In qua Christus vt suæ gloriæ prægustationem aliquam suis discipulis communicaret: assumptis tribus Apostolis Petro, Iacobo, & Ioanne: ascendit in montem Thabor: ibique deuotissimè orauit & dum oraret, facies eius sicut sol resplenduit: vestimenta eius, sicut nix alba facta sunt: Moses legislator, & Helias propheta in maiestate visi sunt cum eo loqui de excessu passionis suæ, & amoris quem completurus erat: Petrus tanta suauitate extra se raptus dixit: Domine, bonum est nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula, tibi vnũ, Moysi vnum, & Heliæ vnum, Recedentibusque Moyse & Helia, nubes lucida obumbrauit Christum: facta est de nube vox dicens: hic est filius meus dilectus: in quo mihi bene cõplacui: ipsum audite: qua voce attoniti Apostoli, ceciderunt in facies suas, donec à Christo erecti sunt: qui etiam præcepit eis, vt nemini visionem hanc dicerent, donec ipse à mortuis resurgeret.

O vnitrine DEVS miserere nostri,

7 PER COENAM VLTIMAM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI, & sacrosancti Sacramenti Eucharistiæ institutionem, & solemnem venerationem: In qua CHRISTVS post legalem cœnam, & agni igne assati cum lactucis agrestibus, & azimis panibus comestionem: Apostolorum pedibus lotis, tersis & osculatis: rursus recumbens, azimum panem in sanctas & venerabiles manus suas accepit: & eleuatis in cœlum oculis, ad te Deum patrem suum, tibi gratias agens, benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: (Accipite & manducate ex hoc omnes, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur:) quibus verbis substantiam panis totam, diuina virtute transsubstantiauit & conuertit in totam substantiam sui corporis: remanentibus sine subiecto accidentibus panis, & subiungens ac dicens Apostolis (Hoc facite in meam commemorationem) dedit illis & eorum successoribus, ac per eos ordinandis sacerdotibus, potestatem sub iisdem verbis & forma consecrandi, & panis substantiam in corpus suum veraciter & realiter transsubstantiandi & conuertendi: illudque manducandi, offerendi, & aliis dispensandi. Accipiensque posteà calicem vini aqua mixti, similiter gratias agens, illum benedixit: deditque discipulis suis, dicens: (Accipite & bibite ex eo omnes: Hic est calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti: qui pro vobis & pro multis effundetur, in remissionem peccatorum.) Quibus verbis vini substan-

tiam in suum sanguinem conuertit, & Apostolis ac futuris sacerdotibus, per eos aut eorum successores ordinandis, dedit potestatem & mandatum idem faciendi. Licèt autem ex vi consecrationis, panis in solum corpus conuertatur: & vinum, in solum sanguinem: tamen ex concomitantia & inseparabili nexu ac coniunctione, sub vtraque specie panis & vini; & sub singulis vtriusque speciei particulis quantumlibet minimis, totus & integer est Christus Deus & homo perfectus: nobis datus in cibum & potum: in medicinam, & redemptionem, in viaticum, & gratiarum omnium thesaurum: in robur vitę, lumen scientiæ, & pignus salutis æternę: Cuius sacramenti annua solennitas, meritò est ab omnibus singulari deuotione colenda, & celebranda: præsertim cum eius infinitis fructibus quotidie per totum annum repleamur, & communicemus.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

8 PER PASSIONEM, ET CRVCEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: eiusdemque crucis inuentionem, & exaltationem, fructumque infinitum, & meritum quod ex eadem passione & cruce nobis prouenit: si eam studuerimus deuotè recolere & venerari, studioseque imitari: nosmetipsos abnegando, crucem nostram post Christum quotidie ferendo & eum in amore & cæteris virtutibus sequendo.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

9 PER GLORIOSAM Resurrectionem

nem Domini nostri IESV Christi: In qua anima à corpore Christi in eius morte separata, post descensum ad inferos, & liberationẽ patrum: diuinitatis virtute, est rursus coniuncta corpori: quod statim fuit glorificatum, & dotibus impaßibilitatis, claritatis, subtilitatis, agilitatis, perfectæq́ue sanitatis & immortalitatis decoratum: sensibusq́ue omnibus & viribus beatificatum: In quo vulnerum cicatrices pro nostra salute & glorificatione remanserunt: ex quibus tanquam ex fontibus saluatoris, haurire possumus aquas gratiarum cum gaudio: cuius resurrectionis fidem & veritatem multis apparitionibus & argumentis confirmauit: Apparens Petro, Iacobo, discipulis duobus, vndecim Apostolis. Ipso suæ resurrectionis die, & die octauo sequente, Thomæ & cæteris Apostolis: deinde discipulis piscantibus, rursus discipulis in monte Galileæ, & posteà eisdẽ simul recumbentibus; postremò in monte Olìueti in cœlum ascensurus.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

10 PER ADMIRABILEM ASCENSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI: In qua post amplexũ, osculũ, & benedictionẽ suæ matri & Apostolis collata: ipsis cernentib⁹, propria virtute eleuatus est in cœlum: iubilantibus Angelis, Patriarchis, Prophetis, & cæteris qui iam ex hoc mundo discesserant sanctis animabus. Nubeq́ue eum ab oculis Apostolorũ suscipiente, & abscondente: super omnes Angelorum ordines

est secundum humanitatem ad concessum & dextram Patris collocatus, vnde secundum diuinitatem nunquam discesserat, æqualis semper Deo patri in gloria existens: cuius paternæ gloriæ, suam quoque humanitatem, hodierna die participem sic fecit, vt ab omnibus Angelis & Beatis, eadem cum vnitrino Deo adoratione, & suprema latria veneretur. In qua etiam ascensione, sanctos Patres secum in gloriam cœlestem introduxit, & spem nobis omnibus in ipsum credentibus fecit, ad eandem gloriam perueniendi.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

PER SPIRITVS SANCTI MISSIONEM: In qua discipulis sedentibus, quietis, & vnanimiter orantibus: Dominico die, hora tertia, factus est repente de cœlo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis: qui totam domum repleuit, vbi erant sedentes, & apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis: seditque ignis ille supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto: spiritu sapientiæ & intellectus, consilij fortitudinis, scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini. Quo repleti cœperunt loqui variis linguis magnalia Dei, & sua prędicatione, signisque per eos factis, multitudinem copiosam ad fidem Christi conuerterunt: Non iam timentes pro Christo pati: sed gaudentes quod pro eius nomine digni haberentur contumeliam & verbera sustinere.

¶ Si volueris (ô deuote exercitator) prædictis & sequentibus decadibus vti ad exercitium laudis & gratiarum actionis: præmitte singulis articulis (amans adoro, laudo, & glorifico te: congratulansque tibi gratias ago Domine Iesu Christe pro hac tua festiuitate (vel) pro hoc fonte, (vel) pro hoc sacramento (vel) pro tuis humiliationibus, aut penurijs (vel) pro hoc verbo à te in cruce prolato (vel) pro hoc festo B. Virginis (vel) pro bonis collatis & conferendis huic ordini Angelorum (vel) huic choro sanctorum, & per eos nobis.

EXPLICATIO DECADIS obsecrationum per fontes Saluatoris ex Crucifixi membris fluentes.

CAPVT XVIII.

O vnitrine Deus miserere nostri,

Per fontes ex Sacratissimis domini nostri Iesu Christi pro nobis Crucifixi membris fluentes, scilicet

1 PER Fontem misericordiæ, & ablutionis ex pede dextro manantem, in quo culpa & offensa remittitur, macula peccati abluitur: gratia & amicitia Dei restituitur.

2 PER FONTEM sanitatis, & sanctificationis ex pede sinistro fluentē, in quo vulnera, & reliquiæ peccati sanantur, concupiscentia & pronitas ad malum frænatur, continendi à peccatis gratia confertur.

3 PER FONTEM pietatis, & indulgentiæ, ex genibus Christi manantem, in quo pœna æterna peccato mortali debita indulgetur, piè & paternè, hîc peccata castigantur, & spes gloriæ infunditur.

4 PER FONTEM amoris & obedientiæ, ex latere cordis dextro procedentem, ex quo amor Dei syncerus hauritur, priuatus amor, & propria voluntas mortificatur, & obedientiæ simplicis & perfectæ gratia confertur.

5 PER FONTEM lachrymarum, & orationis, ex sinistro cordis latere fluẽtem: ex quo hauriuntur veræ contritionis & fraternæ compassionis lachrymę, orationes deuotæ, & consolationes sanctæ.

6 PER FONTEM zeli, & feruoris, ex corpore Christi manantem: ex quo zelus & feruor diuini honoris infunditur: esuries iustitiæ accenditur: fortitudo & constantia mentis roboratur.

7 PER FONTEM gratiæ & deuotionis, ac bonæ operationis, ex manu dextra profluentem, vnde aqua sanctæ deuotionis anima irrigatur, ad queque bona opera prompta & alacris redditur, & bonorũ operum fructu, & consolatione lætatur.

8 PER FONTEM sapientiæ, discretionis & contemplationis ex capite fluentem, ex quo aqua sapientię salutaris hauritur, discretionis virtus infunditur, ad contemplationis gustum mens eleuatur, & spirituali lętitia inebriatur.

9 PER FONTEM puritatis, & sanctita-

tis ex manu ſiniſtra manantem: ex quo continentiæ & caſtitatis puritas accipitur: innocentia & pax donatur: ſanctimonia & magnificentia perficitur.

PER FONTEM vitæ, gloriæ, & omnis boni, ex medio cordis procedentem: Ex quo charitas, & omniformis gratia animam viuificans manat: vita beata & gloria poſt mortem confertur, & vnde omne bonum in omnes ſanctos & creaturas profluxit, profluit, & profluet in æternum.

EXPLICATIO DECADIS per ſacramenta Eccleſiæ: quæ licèt ſeptenario tantùm numero concludantur: tamen (vt decas perficeretur) quædã ſacramentalia illis ſunt addita.

CAPVT XIX.

O vnitrine Deus miſerere noſtri, & exaudi nos, per virtutem, vſum & fructum ſacramentorum Eccleſiæ videlicet.

1 PER Baptiſmi Sacramentum, in quo à poteſtate dæmonis liberamur, eidemque ac operibus eius ac pompis abrenunciamus: ac omni culpa & pœna plenè mundamur & redimimur, ex filiis iræ in filios gratiæ & adoptionis regeneramur, & æternæ gloriæ hæredes inſtituimur, Chriſto incorporamur, & ex eius nomine Chriſtiani nominamur, ca-

ractere indelebili, à paganis fecernimur, veſte candida innocentiæ donamur, gratia ſeptiformi viuificamur & ornamur.

2 PER pœnitentiæ ſacramentum, in quo poſt cõtritionem peccata remittuntur: per confeſſionem teguntur, per abſolutioné ſacramentalem ſoluuntur.

3 PER ſatisfactionis opera, quibus pœna temporalis poſt culpam remiſſam adhuc remanens perſoluitur, & gratia augetur, ſcilicet per eleemoſynam & alia miſericordię opera: Per ieiunium & cæteras auſteritates corporis, & afflictiones, & per orationem ſimiliaq; deuotionis exercitia.

4 PER Euchariſtiæ Sacramentum, in quo totus Chriſtus, Deus & homo perfectus, realiter, & ſubſtantialiter ſub ſpeciebus panis & vini, & ſub qualibet ſpecierum particula continetur: Totusque à ſingulis fideli bus communicantibus ſine ſui diuiſione ſumitur, manducatur & potatur, infinitisque gratiis & fructibus ſe dignè ſumentes replet & omnium meritorum ſuorum participes facit.

5 PER Miſſæ ſacrificium, in quo totus Chriſtus cum omnibus vitæ ſuę & paſſionis, ſuorumque ſanctorum meritis Deo patri offertur in omnigenam hoſtiam, ad ſupremã Superſanctiſſimæ Trinitatis latriam, ſanctorum omnium gloriam: & omnium fidelium viuorum, ac defunctorum ſalutem, & vtilitatem multiplicem.

6 PER Confirmationis Sacramentum, in quo tanquam Chriſti milites ſignaculo

ſanctæ crucis in fronte ſignamur, & oleo cũ balſamo conſecrato vngimur; Ad confitendum conſtanter, abſque timore & verecundia, ea quæ ſunt fidei, etiam coram perſecutoribus, roboramur, & ad ſpiritualem militiam & pugnam contra vitia, mundum, carnem, & diabolum, armamur & confortamur.

7 PER Sacramentum Ordinis, in quo poteſtas ſpiritualis miniſtrandi vel operandi aliquid, ad ſacramentum vel ſacrificium ſacri corporis Chriſti pertinens aut diſponens, vel ipſum corpus & ſanguinem conſecrandi, offerendi, ſumendi, & diſtribuendi confertur, cum caractere indelebili: clauis etiam ſcientiæ ſeu authoritatis diſcernendi inter peccata, & cognoſcendi ea quæ ad forum conſcientiæ ligandi, & ſoluendi ſpectant.

8 PER Extremę vnctionis ſacramentum, in quo ſacra vnctione, & ſacerdotali oratione, peccatorum reliquiæ & pœnæ remittuntur, ægritudo corporis, ſi animæ ſaluti expedit, tollitur aut alleuatur, gratia morituro confertur: Ad conſequendam gloriam anima diſponitur, & contra inſtantis mortis pericula & tentationes armatur & roboratur.

9 PER Matrimonij Sacramentum, in quo per meritum, & repræſentationem ſpiritualis coniunctionis & vnionis Chriſti cũ Eccleſia, duo in carne vna iunguntur, fide & fidelitate mutua & inuiolabili ſociantur, & per prolis fœcunditatem benedicuntur, & multiplicantur.

10 PER OMNIA nouæ legis Sacramentalia, qualia ſunt exorciſmi dæmonum, morborum & reliquorum noxiorum: Benedictiones aquæ, panis, vini, olei, cereorum, incenſi, & ſimilium, conſecrationes altarium, Eccleſiarum, calicis & aliorum.

Sequitur Explicatio Decadis Obſecrationum, per ea quæ pro nobis dignatus eſt pati dominus noſter IESVS CHRISTVS, *quæ hîc eo ordine ponuntur, qui viſus eſt magis congruere alijs Decadibus, & præſertim Decadi beatitudinum.*

CATVT XX.

O vnitrine Deus, miſerere noſtri, & exaudi nos: Per Domini noſtri IESV Chriſti

1 HVMILIATIONES, & confuſiones voluntariè ab eo ſuſceptas: Qui nimirùm elegit ſibi humiles parentes, veſtes, diſcipulos: & in omnibus quæ ad vſum ſuum pertinebant, viliſſima quæque & abiectiſſima ſumpſit: & deſpectum ac contemptum ſibi tanquam fabri filio, humili, abiecto, & vilis conditionis homini, à mundanis illatum: atque detractiones, blaſphemias, conuitia, ludibria, & ſubſannationes, ex inuidia, odio, & furore, à Scribis, Phariſæis, & aliis Iudæis ſibi irrogatas, humili corde voluntariè ſuſtinuit.

2 PER PENVRIAS, & voluntariam

paupertatem: quam ipſe CHRISTVS Dominus elegit & aſſumpſit, in ſuo ortu, vita, & extrema paſſione, in omnibus quibus in hoc mundo vſus eſt, in cibo, in veſtibus, in hoſpitio, & cæteris ſimilibus, ſtrictam neceſſitatem & penuriam eligés & amplectens.

3 PER LABORES, & pœnalitates, quas in omni vita ſua, ex amore pertulit, in frigore & æſtu, in fame & ſiti, in vigiliis, in fatigationibus, & ſanctis laboribus & occupationibus.

4 PER OBEDIENTIAS, ſeruitutes & ſubiectiones, quibus ipſe Chriſtus, omnium Dominus, non ſolùm Deo patri obediens factus eſt vſque ad mortem: Sed etiam parentibus ſuis, Beatiſſimæ ſcilicet virgini Mariæ, & ſponſo eius Ioſeph, ſubditus eſſe dignatus eſt. Et ſuis diſcipulis miniſtrare venit, non miniſtrari: Atque ipſis etiam perſecutoribus ſuis, tanquam agnus, obedientem ſe, & omnia mitem præbuit & exhibuit.

5 PER TRISTITIAS, compaſſiones, & internos dolores, quos ipſe ſponte aſſumpſit, dolens de omnibus ac ſingulis, omnium ac ſingulorum hominum peccatis, & diuinæ maieſtatis offenſis: de damnis, vulneribus, reatibus & pœnis peccatorũ, de ſumma erga ſe iniuſtitia & ingratitudine, de matris compaſſione, de diſcipulorum & omnium fidelium ſuorum futuris tribulationibus, tentationibus & anguſtiis: de paſſionum ſuarum, & mortis anguſtiarum voluntaria

appre-

apprehensione & prægustatione.

6 PER PERCVSSIONES, pœnas, cruciatus & vulnera illi in sua passione inflicta, quando in sui comprehensione multipliciter percussus est: in sui deductione ad varios iudices, tractus, impulsus, & verberatus est, coram ipsis iudicibus Anna, & Caypha, alapis, colaphis, sputis, & variis pœnis afflictus est: A Pilati ministris flagellatus, & à planta pedis vsque ad verticem capitis vulneratus est: Ab eisdem spinis coronatus, & compunctus, alapisque & arundine percussus, & consputus est, cruce grauissima oneratus, ac sub ipsa deficiens & cadens, protrusus & verberatus est, in ipsa cruce clauis ferreis crudelissimè manibus & pedibus confixus, vulneratus est: Tribusque horis in ea pendés immensis cruciatibus vndiq; afflictus est vsque ad mortem.

7 PER EFFVSIONES sanguinis eius factas in circuncisione, in sanguineo sudore, in flagellatione, in spinea coronatione, in vestium extractione post flagellorum vulnera, in manuum & pedum confixione, in lateris apertione: & per nudationes eius, quibus pro nobis nudatus est, ad Baptismum suscipiendum, ante flagellationem, ante spineam coronationem, quando propriis vestibus est exutus, vt clamyde coxinea indueretur, ante crucis baiulationem, quãdo purpura exutus est, ac propriis vestibus indutus, denique ante crucifixionem, quando omnibus vestimẽtis spoliatus, totus nudus in cruce est confixus, eleuatus & mortuus.

8 PER CORONAM eius ſpineã, & ſen ſuum omnium afflictionem generaliſſimam & puriſſimam, quam pertulit in auditu blaſphemiarum, deriſionum, exprobrationum, accuſationum, & clamorum contra ſe, & in auditu ſuſpiriorum & lamentationum Matris ſuę & amicorum, in aſpectu corporis ſui vndique vulnerati, in vſu ſubſannantium ſe, & mouentium capita ſua ſuper afflictione eius, populi circumſtãtis, & Matris ac mulierum plangentium, in odoratu putidorum, ſputorum & fœtẽtium cadauerum, in guſtu fellis & myrrhati vini, & aridiſſima ſiti, in generaliſſima afflictione tactus per vniuerſa corporis membra.

9 PER EIVS VINCVLA, clauos & crudelem comprehenſionem, & crucifixionem, quando à Iudæis furentibus, & armata cohorte ſtipatis, eſt cum multo clamore, blaſphemijs, & varijs percuſſionibus in horto comprehenſus, tanquam impotens funibus ligatus tanquam ſeductor & magus durè aſtrictus, & cautè ductus, tanquam præcipuus malefactor cathenis circundatus, ad columnam duriſſimè ligatus, & poſtremò clauis ferreis crudeliſſimè cruci affixus pro noſtra liberatione, & redemptione à vinculis peccatorũ, & captiuitate dæmonis, æterniſq; carceribus.

10 PER EIVS Crucem & mortem: Per Crucem, inquam, lõgam, grauem, & duram, quam in ſignum ſingularis infamię, proprijs humeris ipſe Dominus, varijs pœnis iam totus attritus, vulneratus, & debilitatus, ad cal

uariæ locum non ſine magnis doloribus & compaſſionibus, ſanguineisq́; veſtigijs, portauit, & in qua nudus, clauisq́; confixus, tribus horis pependit, vndiq; afflictus generaliſſima, ignominioſiſſima, acerbiſſima & puriſſima paſſione. Et internis doloribus, abſque vlla patris vel ſuperioris ſpiritus tui ſemper beati, aut cuiuſcunque creaturæ conſolatione, in pœnis ſecundùm corpus & inferiorem animæ partem derelictus: Pro inimicis orans, latronem conuertens, eiq́; pœnitenti & confitenti paradiſum promittens: Matri compatiens, eamq́ue diſcipulo commendãs & donans, derelictũ ſe'exclamãs, ſitim ſuam exprimens, & acetum cum felle mixtum guſtans: Conſummata omnia conteſtãs, ac cum valido clamore & lachrymis in patris manus ſpiritum commendans: inclinatoque capite eundem Spiritum emittẽs, & animam ſuam voluntariè pro noſtra ſalute ponens, cum incredibili & incomprehenſibili dolore, propter cordis ſui ruptionem, & animæ ſuę ſanctæ & pretioſæ, à corpore tam puro, nobili, obſequioſo, & ad omnia promptiſſimo ſeparationem: in cuius quaſi quendam luctum & compaſſionem ſol obtenebratus eſt, velum templi in duas partes diuiſum, petræ ſciſſæ, peccatores ad pœnitentiam conuerſi, pectora ſua tutuderunt, monumenta aperta ſunt, & ſuper his omnibus beatiſſima & puriſſima virgo mater eius intimè & ineffabiliter doluit.

¶ *Sequi-*

¶ *Sequitur Explicatio Decadis Obsecrationum, per verba Christi in cruce, quæ hic ponuntur non eo ordine quo à Christo sunt in cruce prolata: Sed eo ordine quo præcedentibus nominibus Dei, & petitionibus Dominicæ orationis magis conueniunt, quibus etiam hic applicantur.*

CAP. XXI.

O vnitrine Deus, sicut potes, scis & vis, miserere nostri & exaudi nos: Per deuotionem, virtutum, & fructum verborum à IESV Christo Domino nostro in cruce prolatorum, videlicet,

1 PER VERBVM, Pater in manus tuas commendo spiritum meum: Eya pater sancte, Sanctificetur nomen tuũ, agnoscatur, colatur, honoretur nomen tuũ parentum, per eam, quam in hoc verbo Christus ostendit summam erga te obedientiam, & resignationem vsque ad mortem, perfectam deuotionem, & plenam confidentiam, orationem, & formam in extremis sese Deo commendandi perfectissimam.

2 PER INTERNAM Christi ad latronem alloquutionem, qua eum vera fide illuminauit, perfectè iustificauit, & cõstanti zelo armauit, vt socium blasphemantem increparet, seipsum pro peccatis proprijs iustè pati confiteretur, Christum antem innocentem palàm profiteretur, & ipsum humiliter, fideliter ac deuotè oraret, vt sui memor esset dum in regnum suum venisset: Eya per hoc

inter-

internum verbum, ſanctificetur, agnoſcatur, & honoretur nomen tuum : ô iudex & iuſtificator noſter : ſic vt te iuſtum iudicem credamus, timeamus, & defendamus : nos autem accuſemus, & te deuotè inuocemus & exoremus.

3 PER VERBVM Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiſo, quo Chriſtus regiam ſuam gloriam, & beatitudinem expreſſit; certiſſimam miſericordiam & prõptiſſimã liberalitatem exhibuit: & omnibus verè pœnitentibus ſpem ſalutis & gloriæ reliquit: Eya per hoc verbum, adueniat nobis regnum tuum, in quo tecum ſimus in paradiſo, ô rex glorioſe.

4 PER VERBVM Conſummatum eſt, in quo Chriſtus proteſtatus eſt ſe perfectè cõſummaſſe omnem Patris volũtatem, & quæcunq; de ſe in lege, prophetis & pſalmis ſcripta erant, & quicquid ad noſtrã redemptionem, inſtructionem & iuſtificationem pertinebat, & ſignificauit omniũ virtutum exemplar & conſummationem in ſe expreſſiſſe: Eya per hoc verbum, fiat voluntas tua (ô Domine ſuperdigniſſime) ſicut in cœlo & in terra, in nobis, & à nobis in terra degentibus, ſic impleatur tua voluntas, ſicut in Chriſto & à Chriſto perfectè fuit conſummata.

5 PER INTERNAS CHRISTI orationes, gemitus, & ſuſpiria : quibus Chriſtus in cruce pendens iugiter patrem orauit, pro paternæ voluntatis & operis noſtræ redemptionis celeri & fœlici cõſummatione. Eya (ô Præceptor obſeruandiſſime) per has orationes,

tiones, fiat & impleatur voluntas tua beneplacens & perfecta in consiliorum tuorum obseruatione, à nobis sicut in Christo fuit impleta.

6 PER VERBVM, SITIO, per quod Christus sitim quidem suam corpoream vehementissimam ostendit, in qua aceto cum felle mixto, crudeliter est potatus: sed multò ampliùs significare nobis voluit quam incomprehensibili desiderio sitiret magis ac magis Patrem honorare: humanum genus redimere, & propter hæc plura, & grauiora adhuc pati, imò etiam in his pœnis vsque ad finem seculi permanere, si ita pro nostra redemptione expediens fuisset. Eya (ô pastor bone) per hoc verbum, & hanc sitim ac amaram fellis & aceti gustationem: panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

7 PER VERBVM PATER ignosce illis, quia nesciũt quid faciunt: in quo Christus ostendit summam suam erga persecutores & crucifixores suos dilectionem, & compassionem: per quam ante omnia sollicitus fuit pro eorum salute & indulgentia orare, & interpellare non iudicem, sed patrem, nec vt attenderet aut vindicaret crimen eorum, sed vt ignosceret: non accusans eorum malitiam & inuidiam, sed ignorantiam excusans: In quo etiam verbo, forma & exemplar diligendi inimicos, & pro eis orandi nobis proponitur, & spes veniæ & indulgentiæ omnibus peccatoribus relinquitur. Eya (creditor opulentissime & misericordissime) per hoc verbum, dimitte nobis debita nostra, &

fac

fac nos Christi amore & imitatione, dono ac merito, nostris debitoribus & inimicis dimittere, & ex corde ignoscere.

8 PER VERBVM, DEVS DEVS MEVS, vt quid dereliquisti me: Quo Christus extremam suam angustiam, & inter pœnas consolationis substractionem & carentiam expressit: amorem nimium quo tu Deus pater, propter nos ipsum filium tuum prædilectum in tantis pœnis dereliquisti: & fructum immensum huius dilectionis, cum admiratione & deuotissima oratione considerauit, & nobis insinuauit: formamq́; reliquit in omni tribulatione Deum deuotè & amorosè inuocandi: considerando quo amore & quo fructu, tu Deus omnem tribulationem tuis electis euenire permittas, aut procures. Eya (Protector potentissime) per hoc verbũ: ne nos sic vnquam derelinquas, vt in tẽtationem & lapsum peccati inducamur.

9 PER VERBVM, Mulier ecce Filius tuus: quo Christus filiali affectu, prædilectæ Matri suæ compatiens: dilectum suum discipulum pro se illi in filium, qui eius curam haberet, assignauit: omnesque electos gratiæ filios simul cum Ioanne, eidem matri suæ tanquam filios commendauit; quos nimirum ipsa, sub cruce Christo intimè compatiens, quodammodò parturiuit, & in fructum suæ compassionis & doloris in filios recepit. Eya (ô liberator fortissime) per hoc verbum libera nos ab omni malo per mutuam CHRISTI & Matris suæ compassionem.

10 PER VERBVM, ECCE MATER TVA: quo Christus dilecto discipulo suo Ioanni, & omnibus fidelibus futuris, tenerrimè compatiēs; prædilectam suam matrem assignauit illis in matrem, quam filiali affectu diligerent, honorarent, colerent, & fiducialiter inuocarent, tanquam matrem pijssimam & mediatricem atque aduocatam erga filium potētissimam, & benignissimam. Eya per hoc verbum (ô Deus perfectissime & fidelissime) ita quæso fiat, sicut cōfidenter à te petimus, Amen. Benignissime Pater, per IEsum dilectum filium tuum, in Spiritu sancto, intercedente eadē beatissima & pijssima matre nostra Dei genitrice Maria: Beato Ioanne Euangelista & omnibus Beatis Angelis, & sanctis.

EXPLICATIO DECADIS Obsecrationum per Beatissimæ Matris Dei festiuitates: quæ hic copiosè explicantur, vt maior ad meditandum offeratur materia.

CAP. XXII.

O Vnitrine Deus, sicut potes, scis, & vis nostri miserere, & exaudi nos.

PER IMMACVLATAM Cōceptionem gloriosissimę Dei genitricis & Virginis Mariæ; In qua ipsa virgo ab æterno præ-

electa, & prædestinata in matrem Dei: patribus repromissa: multipliciter præfigurata, à Prophetis prædicta, à parentibus Sanctis Ioachim & Anna ex stirpe Patriarcharum, Regum & Sacerdotum oriundis, diu sterilibus: piè, sobriè, & iustè cōuersantibus: ac pro impetranda prole iugiter ac deuotè supplicantibus, multasque eleëmosynas facientibus, propter suam sterilitatem contemptis & opprobrio affectis, & in hac sua tribulatione per Angelum de futura prole præmonitis & consolatis: post deuotam gratiarum actionem, non ex carnali concupiscentia: sed solo prolis desiderio se inuicem cognoscentibus est cōcepta, & eius quidem corpus ex parentum semine cōmuni lege & modo paulatim in vtero matris conceptum est & formatum complexione, habitudine, & membrorum omnium dispositione, & integritate pulcherrimum & perfectissimum, anima verò eius, corpore iam perfectè formato, à te (Deus æterne) de nihilo creata est, & eidem corpori statim simul infusa, per singulare priuilegiū gratiæ culpam præuenientis, tota pulchra & à macula & reatu peccati originalis præseruata, & plenè libera: quia nunquam fuit filia iræ, nec vllum fuit temporis instans, in quo iustitia, & gratia Dei careret, aut incapax gloriæ cœlestis esset: sed in ipso suæ creationis instanti gratia tua (ô Deus) præuenta & decorata est; ac per eam regni cœlestis hæres effecta, quod priuilegiū nulli puro homini præter eam collatum credimus. Omnes enim alii homines à primo parente (qui iustitiam

originalē pro ſe & ſuis filijs, peccando & pomum vetitum guſtando perdidit) communi lege per viri & fœminæ copulam deſcendentes, cum peccato originali concipiuntur filij iræ: iuſtitia originali, & diuina gratia carentes, ac propterea regni cœleſtis exortes & incapaces: donec per regenerationis gratiā vel ſanctificationē in vtero ex filijs iræ, filij Dei efficiantur, & hæredes regni gloriæ.

O æterne Deus miſerere noſtri,

PER GLORIOSAM beatiſſimæ ſemper virginis Mariæ Natiuitatem: In qua poſt nouem à ſua conceptione menſes (in quibus Angelorum miniſterijs & conſolationibus fuit cuſtodita & recreata de ſanctis & ſterilibus parentibus eſt nata: tota pulchra, & immaculata animo & corpore: tota amabilis & deſiderabilis: Angelis iubilantibus, parentibusq; eius & eorum charis & vicinis Deum in ea laudantibus: poſtea verò eſt à matre ſua tenerrimè & ſtudioſiſſimè lactata & educata: de die in diem formoſior apparens & amabilior: gratiamq́ue (qua ſingulariter præuenta fuerat,) in omni ſuo motu, aſpectu & geſtu, oſtendens & præ ſe ferens.

O Vnitrine Deus miſerere noſtri,

3 PER DEVOTISSIMAM B. Mariæ ſemper virginis Præſentationem & conuerſationem in templo ſanctiſſimam: In qua cùm eſſet ablactata & triennium aut (vt alij ſentiunt) quinquennium ſuæ ætatis compleſſet, à parentibus ſuis (iuxta votum quod ante eius conceptionem de ea fecerant) eſt

in templum Hierosolymitanum ducta: ad quod cùm peruenissent, ipsa deuotissima puella, licèt per ætatem vix adhuc sola posset ambulare, tamen præ feruore deuotionis, quindecim gradus templi, sine adiutorio, conscendit: seque ipsam Deo in manus sacerdotis præsentauit & obtulit; parentibus applaudentibus, & singulari deuotione eam vnicum cordis sui thesaurum simul Deo offerentibus in ministerium templi: vbi ipsa vsque ad annum decimumquintum Angelicam vitam duxit: tota humilis corde, taciturna & modesta: pauper spiritu, sobria & casta, austeritatis discretæ sectatrix, patiens & mitis: diuina & fraterna charitate plenissima, intẽtione recta: priuati amoris, proprijq́; consilij, & voluntatis prorsus expers, ac perfectè obediens: piè lugens, compatiens, & iugiter orans: esuriens iustitiam, strenueq́ue & vigilanter, deuotè ac feruenter eam prosequens: magnanimis, fortis & constans: misericors, iusta, grata, liberalis & magnifica: sensuum continens, temperans, corde munda, & spiritu eleuata: prudens, sapiens, & eloquens: simplex, pudica, quieta & pacifica: in omnibus tam aduersis quàm prosperis Deum iugiter laudans, eiq́ue gratias agens: seipsam humilians & perfectè abnegans; feruenter Deum obsecrans, plenè ei confidens, & integrè seipsam totam, & creata omnia resignans: vnde etiam fructibus spiritus continuè reficiebatur: charitate scilicet & gaudio: pace, patientia, & longanimitate, mansuetudine, bonitate & benigni-

tate:fide, fidelitate, & modestia: continentia & castitate; propter, quæ omnia, eius vita & conuersatio in templo, verè dici potest totius sanctitatis, & virtutis viuum quoddam, & perfectum simulachrum, & exemplar.

O Vnitrine Deus miserere nostri,

4 PER CASTISSIMAE SEMPER VIRGINIS MARIAE DESPONSATIONEM: In qua, licèt ipsa tanquam virginum primiceria virginitatis votum vouisset: tamen ad suasionem Sacerdotum & Pontificum (quibus tanquam vicarijs tuis repugnare, nefas putabat) consensit viro copulari: quem de sua tribu, non qualemcumque, sed florentis virgæ iudicio designatum, & præelectum accepit: Ioseph scilicet virum sanctum, castissimum, filium Dauid: cui sponsali quidem fœdere est copulata, sed nunquã ab eo cognita: cum ipso enim tanquam soror cum fratre cohabitans, virgo integra semper permansit.

O Vnitrine Deus miserere nostri,

5 PER ANNVNCIATIONEM Beatissimæ virginis Mariæ: In qua Gabriel Archangelus à te Deo missus, in Nazareth ciuitatem Galileæ, virginem hanc iam desponsatam sancto Ioseph, in conclaui solitariam, & deuotissimè pro Aduẽtũ redemptoris exorantem, noua salutatione salutauit, dicens: *Aue gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.* Ad quam salutationem, & cui

commendationem, virgo verè humilis & verecunda, turbata quidem ſed non perturbata, prudenter conſiderauit quæ eſſet iſta ſalutatio. Cuius trepidationem ſtatim Angelus confortauit, dicens: *Ne timeas Maria:* inueniſti gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filium, & vocabis nomen eius, IESVM: hic erit magnus & altiſſimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus, ſedem Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob, & regni eius non erit finis. Quibus auditis, virgo quæ ſtabili voto virum nunquam cognoſcere propoſuerat: verbis quidem Angeli plenam fidem adhibens, credidit quòd eſſet conceptura & paritura filium: ſed quomodo id ſaluo virginitatis voto fieri poſſet, ignorans: Angelum interrogauit, *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* Cui Angelus dixit: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te*: vt qui iam mentem tuam gratia impleuit, ventrem quoque tuum ſancto pignore impleat & fœcundet. *Et virtus altiſsimi*, hoc eſt, filius Dei, obumbrabit tibi, carnem ex te aſſumens, & ſibi vniens. *Ideoque quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.* Et vt ex minoribus maiora colligens, exemplo fidem tuam confirmes: *Ecce Elizabeth cognata tua*, cùm eſſet ſterilis, *in ſenectute ſua* filium concepit. Nec id mirum & incredibile: quia *non erit impoſsibile apud Deum omne verbum.* Tunc beata virgo promptiſſimam obedientiam, humilitatem profundiſſimam, & puriſſimam caſtitatem, ardentiſſimam charitatem, ſpem certiſſimam, & fidem conſtantiſſimam exhibuit, & his ver-

bis

bis expressit dicens, *Ecce* obedientissima, *Ancilla* humillima, *Domini* castitatem diligentis: *fiat*, sicut ex ardenti charitate desidero: *mihi* certa spe expectanti; *Secundùm verbum tuum*, cui fide indubitata credo. Quibus dictis, statim vno & eodem momento temporis, corpus verum omnibus membris suis absolutissimum, complexione & habitudine tenerrimum & perfectissimum, est de purissimo sanguine virginis castissimæ, absque virili semine formatum. Et anima rationalis vera & nobilissima, omniq́ue gratiarum plenitudine decorata, de nihilo creata est, & simul corpori illi infusa: eodemq́ue instanti, verbum patris, secunda persona altissimæ Trinitatis, vtrumque hoc, corpus scilicet & animam, assumpsit & sibi personaliter vniuit: sicq́ue verbum, caro factum est; & Deus verus, homo verus esse & dici cœpit: creatorq́ue factus est creatura; Pater noster, factus est frater noster: Iudex Aduocatus: Rex, exul: Dominus, seruus: Pastor, Agnus; Imperator, miles & pugnator: Creditor, fideiussor: Deus sacrificio colendus, Sacerdos & sacrificium: Medicus, infirmus: liberator, captiuus: æternus, temporalis: inuisibilis, visibilis & palpabilis: immortalis, moriturus: vnus & idem IESVS, Deus & homo perfectissimus.

O Vnitrine Deus miserere nostri,

6 PER VISITATIONEM Beatissimæ semper virginis Mariæ: In qua statim post conceptum in vtero suo Dei filium, ipsa

virgo ex charitate desiderans tanti thesauri fructum cognatæ Elizabeth, & filio eius communicare: Exurgens à quiete contemplationis ad laborem: abijt in montana Iudeæ longam & asperam viam pedestris ambulans, cum festinatione & feruore deuotionis: & ingressa domum Zachariæ; prior, tanquam humilior, salutauit Elizabeth, & factum est, vt audiuit salutationem eius Elizabeth; Ioannes Baptista infans sex mensium in vtero eius clausus, CHRISTI IESV Dei & hominis, in vtero virginis conclusi præsentia & virtute est sanctificatus; à macula originali purgatus: in benedictionibus dulcedinis gratiæ præuentus: illuminatus fide Christi: & vnctus oleo lætitiæ, & spiritu prophetiæ: quo instigante, cœpit exultare in vtero, vt qui nec dum voce poterat; exultatione CHRISTVM prophetaret. Ipsoque exultante, Mater eius Spiritu sancto est repleta: *Et exclamauit voce*, & deuotione *magna*, & dixit. *Benedicta tu inter mulieres*, sola virgo & mater. *Et benedictus fructus ventris tui*, omnis benedictionis author. *Et vnde hoc mihi* tam indignæ & immeritæ: *vt mater Domini mei*, veri Dei, *veniat ad me* visitandam, & tam officiosè ac humiliter salutandam? verè enim agnosco & confiteor, quia tu es mater veri Dei, & Domini mei; eò quod *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis: Exultauit in gaudio infans in vtero meo. Et beata quæ credidisti: quoniam perficientur ea quæ dicta sunt tibi à Domino.* Tunc humillima virgo, nihil prorsus de tantis bo-

nis & laudibus ſibi arrogans aut aſcribens: in Dei laudem omnia plenè retulit: deuotiſſimum illud canticum concinens. *Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Poſt hæc manſit cum Elizabeth tres adhuc menſes: ei tanquam ſeniori deferens, & prout poterat miniſtrans: vſque ad Natiuitatem Beati Ioannis Baptiſtæ: In quo tempore, tam ipſe Ioannes, quàm Elizabeth mater eius, ex præſentia & influxu CHRISTI, & ex Beatæ Virginis dulci alloquio, & ſanctiſſima conuerſatione: continua gratiarum, & gaudiorum ſpiritualium augmenta receperunt.

O Vnitrine Deus miſerere noſtri,

7 PER PVRIFICATIONEM puriſſimæ ſemper Virginis Mariæ: In qua ipſa beata Virgo, licèt legi purificationis non eſſet ſubiecta (vtpote quæ nec ſuſcepto ſemine filium conceperat, nec purgandum aliquid in ſe vel in filio (quem ſine vlla ſorde, & ſine vllo pudoris ſui detrimento pepererat, habebat:) tamen vt humilitatis & obedientiæ preberet exemplum: ſingularitatemque fugiendam monſtraret: à die ſui partus, quadraginta diebus ab ingreſſu templi abſtinuit: manens interim in tugurio, vbi partum ſuum ediderat, in paupertate & auſteritate multa, donec adueniente die quadrageſimo, à Bethleem, in ciuitatem Hieruſalem, ſpon-

ſo ſuo Ioſeph comitata, aſcendit: filiũ ſuum in vlnis proprijs deferens. Cumque Hieruſalem perueniſſet: ſenex Simeon timoratus & iuſtus, expectans cõſolationem Iſraël, eo ſpiritu quo reſponſum acceperat non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini: venit in templũ. Et cùm beata Virgo, & Ioſeph ſponſus eius introducerẽt puerum IESVM in templum, Simeon ipſum verum Meſſiam recognoſcens, accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, dicens. *Nunc dimittis ſeruum tuum in pace*: quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum: lumen ad reuelationem gentium & gloriam plebis tuæ Iſraël. In quibus verbis, agnouit & confeſſus eſt Chriſtum eſſe reconciliatorem noſtrum, & pacem in Incarnatione: Salutare noſtrum & Redemptorem in paſſione, lumen & illuminationem noſtram in vitæ exemplo & doctrina, gloriam & beatitudinem in reſurrectione, & aſcenſione, Poſt hoc canticum laudis: Simeon benedixit parentibus pueri IESV, mirantibus ſuper his quæ dicebantur de eo, & dixit ad Mariam matrem eius prophetans. *Ecce hic poſitus eſt in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur, & tuam ipſius animam pertranſibit gladius doloris, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.* Tunc etiam Anna prophetiſſa, (quæ poſt ſeptem annos cum viro ſuo expletos, vidua permanſerat vſque ad octogeſimum quartum ſuæ ætatis annum, ieiunijs & orationibus in templo die ac nocte vacans)

ſuper-

ſuperuenit & cœpit confiteri Domino: & aduentum veri Meſſiæ prædicare omnib. qui expectabant redemptionem Iſrael. Poſtremò virgo filium in vlnas ſuas à B. Simeone recipiens, ſimul cum eo, & ſpõſo ſuo Ioſeph, & Anna vidua ad altare proceſſit ibique deuotiſſima mente, eundem filium ſuum primogenitum, Deo Patri præſentauit: & obtulit in oblationem ſuauiſſimam, & præ omnibus ſacrificiis & holocauſtis, longè gratiſſimam. Ipſe etiam IESVS paruulus, ſeipſum Patri obtulit pro noſtra redemptione, & quia non erat de tribu Leui, quinque ſiclis redemptus fuit, & Beata virgo, vt purificationis legem impleret: obtulit etiam ſimul cum filio, par turturum aut duos pullos columbarum quæ erat pauperum oblatio, geminam caſtitatem & luctum ſignificans: ſicque omnibus completis, reuerſi ſunt in Nazareth ciuitatem ſuam.

O vnitrine DEVS miſerere noſtri, & exaudi nos,

8 PER COMPASSIONEM piiſſimæ virginis Mariæ, quæ filium ſuũ IESVM Chriſtum, certa fide cognoſcens eſſe, & verum Deum prorſus amandiſſimum, reuerendiſſimum, & colendiſſimum: & hominem nobiliſſimum, innocentiſſimum, pulcherrimum, tenerrimum, mitiſſimum, & amabiliſſimũ: & amatorem hominum fideliſſimum, feruentiſſimum, & beneficentiſſimum: eius paſſionibus, iniuriis, blaſphemiis, cruciatibus, & morti tenerrimè & intimè cõpaſſa eſt: tanquam mater, ſola eius parens, & ei in natura

conformis, vnigenito filio, & tali filio: amantissima, amantissimo: piissima, piissimo: audiens, videns & in spiritu præuidens ac ponderans omnes eius passiones & dolores internos & externos: eisque tantò amplius condolens & communicans, quantò nouerat eorum merito se nobilius redemptam, & gloriosiùs præ cæteris creaturis coronandam. Quia insuper electa erat nostræ salutis cooperatrix cum filio: vice omnium saluandorum sub cruce Christi stetit, & defectum cõpassionis nostræ erga eundem Christum sua dolorissima & piissima compassione suppleuit: nosque quodammodo sub ipsa cruce in filios parturiuit. Vnde etiam sub typo Ioannis discipuli (cuius nomen interpretatur, in quo est gratia) Christus omnes gratiæ filios fideles futuros: eidem matri suæ in filios assignauit, & eam in matrem illis dedit, dicens ad matrem, *Mulier, ecce filius tuus:* & ad discipulum, *Ecce mater tua.* Porrò septem vicibus præcipuè condoluit Christo, ipsa piissima virgo: 1. in Circunsione, quando vidit eum vulnerari, sanguinem fundere & lachrymari: 2. in eius amissione, quando ipse puer insciis parentibus remansit in Hierusalem: 3. in fuga in AEgyptum: 4. quando audiuit eũ comprehensum, flagellatum, spinis coronatum, morti adiudicatum, & vidit cruce oneratum: 5. quãdo vidit eum in cruce morientẽ: 6. quãdo suscepit eum de cruce depositum: 7. quando traditus est sepulturæ.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

9 PER TRANSITVM ex hoc mundo

&, requiem gloriosam sanctissimæ virginis Mariæ, quæ anno post resurrectionem filij sui in quintodecimo, & suę ætatis sexagesimo tertio, ardentissimè dissolui & esse cum filio: teque vnitrinum Deum pro vniuersis beneficiis in æternum laudare desiderans: ab Angelo palmam illi afferēte, de sui trāsitus propinquo tempore præmonita fuit, & Angelorum ministerio recreata: Apostolisque diuina virtute (prout ipsa petierit) ex diuersis mundi partibus (in quibus Euangelizabant) raptis, & in domo eiusdem virginis congregatis: ipsa eis congratulans, & ad perseuerantiam eos exhortans, atque cum eis diuinis laudibus vacans, transitus sui horam læta & secura præstolabatur. Donec Christus prædilectus eius filius & Saluator: cum multa Angelorum & Sanctorum frequentia illuc adueniens, suaque præsentia & alloquio illam immenso gaudio & iubilo replēs, animam eius in se attraxit, & suscepit absq; dolore (vt piè creditur) & absque dæmonis visione vel terrore, sicque iubilantibus Angelis, eam deduxit super omnes choros Angelorum: & suę omnipotentiæ, sapientiæ, bonitatis, opulentię gloriæ & beatitudinis eam præ omnibus Sanctis participem fecit.

O Vnitrine DEVS miserere nostri,

10 PER SEPVLTVRAM, Suscitationem & Assumptionem beatissimæ semper virginis Mariæ, quæ ab Apostolis post suum transitum, in vallem Iosaphat ad sepeliendum delata, & à furore & impetu Iudęo-

rum ipſius corpus rapere & comburere volentium, diuina virtute liberata, eſt in dicta valle deuotiſſimè ſepulta, & corpore eius incorrupto permanente, odoremque ſuauiſſimum ex ſe ſpirante: tertio die, adueniente rurſus Chriſto Angelis comitato, anima eius eſt corpori in ſtatum glorioſum reparato & immutato, infuſa & vnita, ſicque à morte ſuſcitata, eſt cum corpore glorificato, & anima beata, in cœlum rurſus aſſumpta, iubilantibus Angelis, & Sanctis omnibus, atque in ſede, filij ſui humanitati proxima, ſupra omnes cœleſtes Angelorum & Sanctorum manſiones collocata: nobiſque omnibus in matrem & Aduocatam potentiſſimam, ſapientiſſimam & benigniſſimam donata.

EXPLICATIO DECADIS obſecrationum per Angelorum ordines, qui hic ponuntur aſcendendo ab inferioribus ad ſuperiores, & iuxta ordinē à B. Dionyſio Areopagita ſeruatum.

CAPVT XXIII.

ANNOTATIO In duas ſequentes decades Angelorum & Sanctorum.

*SEquentibus duabus decadibus vti poteris non tantùm per modum obſecrationis (prout hic declaratur) ſed etiam in alios vſus varios. Nam ſi voluer*is

lueris singulos Angelorum & Sanctorum choros salutare & inuocare, poteris ordinatè id facere, premittendo hanc salutationem. Ex affectu omnium vobis deuotorum, per suauissimum cor Domini IESV, vos saluto, laudo & vobis congratulor, O Angeli, O Archangeli, O Principatus, & sic de cæteris: *vel*, ô Patriarchæ, Prophetæ, *& sic de aliis Sanctis. Aut absque alia salutatione, singulos Angelorum ordines, & Sanctorum choros inuocabis, & vt pro te orent supplicabis dicens*, O Angeli, Archangeli, &c. *vel*, O Patriarchæ, Prophetæ, *& alij Sancti, Orate pro nobis.*

Item ad inuitatoria singula quæ initio matutinarum octo vicibus repetuntur: inuitabis singulorum Angelorum & Sanctorum ordines: prout est supra declaratum.

O Vnitrine Deus, sicut potes, scis & vis,
miserere nostri: & exaudi nos, per
ministeria, preces, merita &
exercitia Beatorum

ANGELORVM, qui singulis hominibus custodes singulares deputati, piè & paternè in omnibus semper & vbique nobis assistunt nosque purgant, illuminant & perficiunt: atque faciem tuam diuinam semper videntes, iudiciorum tuorum æquitatem & profunditatem cum gaudio contemplantur, & circa nos ea implent. Atque in custodia nostri, & ministerio nostræ salutis, tui amore & voluntate, die ac nocte peruigilant, cum charitate nimia & gaudio, à malis nos protegendo, & reuocando: ad bona quæque nos excitando & promouendo, orationes nostras offerendo & gratiam nobis referendo.

O Vnitrine DEVS miſerere noſtri,per miniſteria & preces Sanctorum

ARCHANGELORVM, Qui ſunt ſecretiorum tuorum myſteriorum, & cõſiliorum (quæ ad fidem, vel commune bonum ſpectant) conſcij, reuelatores & exequutores: Prælatorum Eccleſiæ & Sacerdotum ſpeciales rectores & conſultores: quos docent con ſiliorum Chriſti ſemitas ſcire, obſeruare & aliis diſcretè reuelare: ſacris altaribus reuerenter ac deuotè aſſiſtere, gregemq; ſibi creditum vtiliter regere, & ad ſalutaria quæque dirigere.

O vnitrine Deus miſerere noſtri, per miniſteria, preces, merita & exercitia Beatorum

3 PRINCIPATVVM, Qui ad explenda tua miniſteria priores incedunt, & Angelis ſuperioribus, quæ agere debeant, diſponunt, regumq; & regnorum ac prouinciarũ gubernatores & adminiſtratores cõſtituti, iura regnorũ, iuxta tuum beneplacitum, diſponunt, mutant, trãsferunt, & quibus tu vis, tribuunt aut tollunt: deponentes ſæpius potentes de ſede, & humiles exaltantes, ipſosq; Reges & Principes, in omnibus ad te, & ſecundum te, dirigere & gubernare ſatagunt.

O vnitrine Deus, miſerere noſtri, & exaudi nos, per miniſteria, preces, merita & exercitia

4 POTESTATVM, Qui fortiſſimi tui milites, & magnifici ſemper triumphatores, aduerſarias poteſtates refrenant, & crucis Chriſti potentiam vbique attingentem ſum-

ma cum deuotione & gaudio contemplantur: ac per eam dæmonum & impiorum hominum temeritatem, violētiam, impetum & magnum conatum, quando & ſicut opus eſt ad electorum ſalutē, reprimunt & impediūt: gladium Dei portantes ad vindictam malorum, & protectionem ac laudem bonorum: electoſque in ſuis tentationibus, & tribulationibus roborant & protegunt.

O Vnitrine DEVS miſerere noſtri, per miniſteria, preces, merita exercitia Angelicarum

VIRTVTVM, Quæ tāquam operarij ſtrenuiſſimi, ſigna, miracula, prodigia & magnifica opera, quando & ſicut vis ad commonitionem mortalium, & electorum ſalutem operātur: eorumq́; occultas cauſas cognoſcūt: viriliter & abſq; vlla tarditate, reſiſtentia, vel difficultate, aut timore, ardua quæq́ue, iuxta tuum beneplacitum, aggrediuntur & perficiunt, noſq́ue ad opera virtutum excitant, dirigunt & confortant.

O vnitrine DEVS miſerere noſtri, per miniſteria, preces, merita & exercitia Cœleſtium

DOMINATIONVM: Quæ diuinam maieſtatem omnibus pro ſuo arbitrio, liberè & potenter impetrantem, omnia ſibi ad nutum ſubiecta poſſidentem, in omnibus ſemper & vbiq; ſui beneplaciti voluntatem implentem, eiuſq́; tranquilliſſimum & pleniſſimum ſuper omnia dominium, cum ſummo gaudio, pace & ſecuritate contemplantes: Angelis inferioribus quæ debeant implere,

potenter, ordinate & Deiformiter imperant. Ita vt ad eas, tanquam ad Dominos, referri habeant operationes virtutum: tutamina potestatum, regimina principatuum, reuelationes Archangelorum, & curæ ac prouidentiæ Angelorum.

O vnitrine Deus miserere nostri, per ministeria, preces, merita & exercitia Beatorum

THRONORVM: in quibus, tu vnitrine Deus, tanquam æquitas sedes, & per eos iudicia tua decernis, & velut de consistorio tuo, inferiores Angelos & homines doces dignitatum & officiorum suorum moderamen & gubernationem, iuxta tuum beneplacitũ, ordinare, ad vniuersitatis salutem. Qui etiam tibi sunt familiarissimi, teq; circundãtes consilia tua & voluntatẽ de omnibus audiũt, & alijs reuelant. Altissimi in contemplatione, vnitissimi per intellectus & affectus concordià, capacissimi & paratissimi ad te tuæq; gratiæ influxum suscipiendum liberalissimi ad communicandum aliis gratiam, pacatissimi & firmissimi, in te in ipsis sedente, suauiter & stabiliter requiescentes.

O Vnitrine DEVS miserere nostri, per ministeria, preces, merita exercitia Beatorum

8 CHERVBIN: Quæ mundissima tuæ diuinitatis specula, tuam veritatem & pulchritudinem in suo fonte clariùs & viciniùs cõtemplantur. Atq; scientiæ, intellectus & sapientiæ præ cæteris plenitudine donati, Deiformiter omnia vident: pulchritudinem

ordinis omnium rerum intuentur,ad te Deum omnia ordinant & referunt,exemplar & formam omnia secundùm Deum agendi aliis exhibent, & de plenitudine sapientiæ & scientiæ,quàm acceperunt, singulis tam Angelis inferioribus, quàm hominibus liberaliter & prudenter pro vniuersalis Ecclesiæ directione & omnium salute, fluenta scientiæ & intellectus, iuxta tuum nutum & beneplacitum,refundunt.

O vnitrine Deus miserere nostri, per preces,merita & exercitia Beatorum

9 SERAPHIN, qui quantò tibi sunt viciniores,subtiliusq; claritatem tuę diuinitatis contemplantur, tantò validiùs in tuo amore flãmescunt,& alios succendunt. Amantes te amore nobili & actuali, continuo & nunquam intermisso,calido & deuoto, acuto,perspicaci & sapienti, feruenti, & liquefacienti,superferuido, & ebullienti,attento omnia in te Deum referenti, intimo, ad exteriora non effluenti,inflexibili, & vsque in finem perseueranti.

O vnitrine Deus miserere nostri,per ministeria,preces,merita & exercitia Beati

10 MICHAELIS, quem constituisti tuæ Ecclesiæ Catholicæ Principem, ducem cœlestium exercituum, debellatorem luciferi, & malignorum spirituum: propugnatorem nostrum contra hostes visibiles & inuisibiles, defensorem contra omnes instantias & accusationes inimicorum, susceptorem & ductorem animarum fidelium; multisque alis dignitatibus,officiis,priuilegiis,& hono-

ribus

ribus eum præ cæteris ſpiritibus in Eccleſiæ tuæ ſanctæ gubernatione honoraſti. Miſerere etiam noſtri per miniſteria, preces & exercitia omnium ac ſingulorum beatorum ſpirituum, quos feciſti eſſentia ſimplices, incorporeos, & immortales, volũtate liberos, poſt electionem immutabiles, potentes, ſapientes, & amantes, mente puros, affectu benignos, & religione pios, vnanimitate indiuiduos, pace ſecuros: tuis laudibus iugiter intentos, & nihilominùs circa ſalutis miniſterium iugiter ſollicitos. Promptiſſimè tibi obedientes, inferioribus ſine elatione præſidentes, ſuperioribus ſine murmure ſubiecti: In exteriorum adminiſtratione, ab interna contemplatione non recedentes, in interiorum contemplatione exteriora non negligentes, tibi per omnia placere geſtientes.

EXPLICATIO DECADIS obſecrationum per Sanctorum ordines.

CAPVT XXIIII.

¶ *Hæc clauſula ad ſingulos ordines Sanctorum debet repeti. Cæterùm hîc ſingulis Sanctorum ordinibus attribuuntur certæ virtutes, quæ iuxta præcedentem tabulam decadum, illis reſpondent, & in eodem numero concurrunt, quamuis eædem virtutes alijs Sanctorum ordinibus etiam conueniunt.*

O vnitrine Deus, ſicut potes, ſcis & vis, noſtri miſerere, & exaudi nos per exempla, preces & merita Sanctorum

1 PATRIARCHARVM, Qui fuerunt primitiæ Sanctorum: Chriſti progenitores & patres ſecundùm carnem: hoſpitales fide præclari, in ſpe longanimes, & humilitate inſignes.

2 PROPHETARVM & Sacerdotum legalium, Qui fuerunt myſteriorum noſtræ fidei præſcij, & prænuncij, iudicis venturi præcones, Chriſti ſummi ſacerdotis typum gerentes, paupertate ſpiritus, fidelitate & deuotione præſtantes.

3 REGVM & Iudicum, Qui populũ tuum benè rexerunt, in prçliis victores, ſpe, patientia & manſuetudine præclari.

4 APOSTOLORVM, qui fuerunt Chriſti fideles amici, & comites indiuidui, primi ſacerdotes nouæ legis, Patres omnium Chriſtianorum, charitate Dei feruentes, abnegatione ſui & obedientia fideli ſublimes.

5 EVANGELISTARVM, qui fuerunt Euangelij ſcriptores & promulgatores, magiſtri & doctores Eccleſiæ, dilectione fraterna, compaſſione & oratione deuota laudabiles.

6 MARTYRVM, Qui fuerunt Chriſti milites & teſtes, in cuius ſanguine lauerunt ſtolas ſuas, & candidas eas fecerunt, fortes in bello & triumphatores, zelo iuſtitiæ feruentes, magnanimitate, fortitudine, & conſtanti perſeuerantia inſignes.

7 PONTIFICVM & Sacerdotum ac cõfeſſorum, qui fuerunt Chriſti diſpenſatores, miniſtri, eleemoſynarij, mediatores inter Deum & populum, miſericordes, iuſti, deuoti, grati, liberales & magnifici.

8 ANACHORETARVM, Monachorum & Religioſorum omnium, qui à ſecularium conſortio ſpeciali vocatione ſegregati & electi fuerunt, vt pro tota Eccleſia in oratione die ac nocte vigilarent, abſtinentia, auſteritate, obedientia, paupertate, caſtitate & ſtabilitate præcipui.

9 VIRGINVM & continentium, quæ Chriſti peculiares ſponſæ fuerunt, prudentes, pudicæ & pacificæ.

10 OMNIVM Sanctorum, qui iam ſunt ab omnibus vitiis plenè purgati, omni gratia & virtute perfectè ornati, & in gloria confirmati, cum æterna ſecuritate, mira ſerenitate, plena ſuauitate tuam opulentiam, gloriam & beatitudinem ſpeculantes & contemplantes.

¶ *Sequitur explicatio petitionum in tabula decadum præcedenti poſitarum. Atque inprimis ponitur breuis expoſitio Orationis Dominicæ, quæ continet omnium ſalutarium petitionum fundamentum & perfectionem: in qua tres præfationis particulæ hîc pro maiori deuotione & attentione appropriantur tribus perſonis ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, licet omnes cuilibet perſonæ, & tribus ſimul conueniant.*

CAPVT XXV.

7 O PATER miſericordiarum, Qui æterna prædeſtinatione nos in filios adoptaſti:

tasti:temporali creatione, & formatione ad imaginem & similitudinem tuam nos fecisti, & paterna prouidentia, charitate & benignitate nos conseruas, gubernas, foues, dirigis, & in omnibus misericorditer nobis succurris.

8 NOSTER frater factus, per humanitatis nostræ personalem assumptionem; nostrarum miseriarum particeps: nobis à patre datus, nobisq́ue natus & passus, & in sacramento nobis in omnem desiderabilem vsum relictus, atque in patria seruatus in præmium.

9 QVI ES IN COELIS, Empyreis, cœlos omnes alios transcendentibus, & Angelorum ac beatorum sedes proprias (quas tuo splendore illustras & clarificas) continentibus. Qui etiam habitas in spiritibus beatis, tua visione & fruitione eos satians: & in deuotis viatoribus, per fidem, spem & charitatem & contemplationem delitiosè commoraris.

1 EYA SANCTIFICETVR NOMEN TVVM PATERNVM (ô Pater sanctissime:) sic vt tu à nobis omnibus fide vera, Pater noster solus & præcipuus agnoscaris & glorificeris, filiali reuerentia & honore timearis & venerereris: amoreq; syncero & perfecta obedientia gratoq; obsequio colaris. Sicq; nomē tuum à nobis, in nobis, & per nos sanctificetur & glorificetur semper & vbique.

2 SANCTIFICETVR etiam *nomē tuum* (ô Iudex æquissime & tremende:) sic vt pura, perfecta & stabili fide, credentes & reco-

gitan-

gitantes te venturum iudicem, singulis iuxta opera sua, æternum præmium aut supplicium redditurum: excitemur ad operandum salutem nostram cum metu & tremore: ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus pro commissis peccatis, & ad præcauendum sollicitè quodlibet peccatum: ne nomen tuum per nos blasphemetur, sed glorificetur & timeatur.

¶ *Hîc prima petitio Orationis Dominicæ in duas partes est diuisa, secundùm duo præcipua Dei erga nos nomina (de quibus Psalmista cecinit, misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine.) Sicut etiam tertia petitio hîc infra in duas diuidetur, vt sic decas petitionum harum perficiatur, & decadibus alijs meliùs conueniat & adaptetur.*

3 ADVENIAT regnum tuum, ô Rex regum gloriosissime. Regnum, inquam, Ecclesiæ tuæ militantis adueniat; sic vt tu per teipsum, per Angelos tuos, & per pastores & Reges sanctos, legesque salubres Ecclesiam tuam pacifices, custodias, adunes, reges, gubernes, & reformes in toto orbe terrarum. *Aduenjat* etiam *regnum tuum*, gratiæ & virtutum: quo tu in singulis nostrum per gratiam, & virtutum exercitationem regnes & impetres: deuictis & sublatis omnibus vitiis, & hostibus nostris. Denique aduenjat Regnum tuæ gloriæ & beatitudinis æternæ, nobis statim post huius vitæ & exilij finem: in quo tu plenè in nobis regnes, & nos tecum sine fine regnemus & exultemus.

4 FIAT VOLVNTAS TVA sicut in

cœlo & in terra,(ô domine ſuperdigniſſime & ſupercolendiſſime:)ſic,inquam,amanter, hilariter,feruenter,promptè & integrè, voluntas tua præceptiua(hoc eſt) quicquid nobis præcipis, perficiatur à nobis hîc in terra adhuc degentibus; ſicut fit & impletur à Beatis in cœlo tecum iam regnantibus, & perfecta charitate tibi ſemper vbique, & in omnibus obtemperantibus & inſeparabiliter cohærentibus.

5 FIAT etiam voluntas per conſiliorum tuorum Euangelicorum impletionem, (ô magiſter & legifer ſanctiſſime.) Et da vt veraciter, & abſq; errore & deceptione, vel hæſitatione cognoſcamus quæ ſit tua bona, beneplacens & perfecta voluntas, eamque eligamus & ſectemur:prudenter omnia quæ nobis incumbunt tam interiora quàm exteriora aduertamus,rectè diſcernamus, ſuisq; debito modo, ordine, tempore & loco exequamur; ſic vt rationabile ſemper ſit obſequium noſtrum. Clarè etiam cognoſcamus & vitemus omnes laqueos inimici,propriaſque naturæ quæſitiones, errores & exceſſus. Denique Deiformiter omnia agamus & dimittamus, ex intentione recta, ſimplici & Deiformi:propter honorem & beneplacitũ tuum:abſque vllo priuato amore, aut propria conſideratione & quæſitione.

6 PANEM NOSTRVM quotidianum da nobis hodie, (ô Paſtor bone & æterne:) Panem,inquam,corporalem,pœnitentialẽ, ſuperſubſtantialem & ſpiritualem. *Noſtrum*, nobis neceſſarium: & à te iuſto medio acci-

piendum, & abſque iniquitatis opere poſſidendum. *Quotidianum*, non craſtinum aut ſuperfluum, ſed quo quotidie ſuſtentari indigemus. *Da*, gratis & liberaliter. Neque enim illum meremur, *Nobis*, omnibus filiis tuis, tuę gratiæ & gloriæ capacibus, *Hodie*, in præſenti vita mortali: in qua quotidie deficimus in via, niſi multiplici pane à te reficiamur. *Hoc eſt*, Da nobis quicquid ad conſeruandum & confortandum nos in tuo ſeruitio eſt vtile & conueniens: quicquid ad corporis & animæ in hac vita conſeruationem, & profectum ſalutarem eſt neceſſarium & accommodum, ad hoc vt in nobis & per nos ſanctificetur nomen tuum, adueniat regnum tuum, & fiat voluntas tua à nobis ſemper & vbique.

7 DIMITTE NOBIS DEBITA NOSTRA: (ô creditor miſericordiſſime:) Dimitte, inquam, & in roſeo ſanguine tuo ablue: in immenſo igne amoris tui abſorbe, & in infinita miſerationum & meritorum tuorum abyſſo ſubmerge, omnia & ſingula debita noſtra: hoc eſt, peccata, quibus tuam legem & voluntatem tranſgredientes, te offendimus, contempſimus & irritauimus: factique ſumus debitores gratiæ tuæ amiſſæ, donorum & talentorum tuorum malè expenſorum, & pœnarum commeritarum. *Dimitte*, inquam, iſta nobis: offenſam tuæ Maieſtatis remittendo & ignoſcendo: in gratiam & amicitiã tuam nos rurſus recipiendo: & chariſmata amiſſa nobis reſtituendo. Sic autem iſta nobis dimitte, *Sicut & nos*, tui amore & i-

mitatio-

mitatione, *Dimittimus*, & ex corde ignoscimus omnibus ac singulis *debitoribus nostris*, hoc est, his qui nos quouis modo offenderunt aut læserunt. Erga quos omne odium, rancorem, iram, indignationem & amaritudinem propter te relinquimus: eosque in te, secundùm te & per te amamus, pro eorum vera salute specialiter interpellamus: eisq; benefacere parati sumus, quoties id saluti eorum expedierit, & nobis licuerit.

8 NE NOS INDVCAS IN TENTATIONEM. (ô protector potentissime & custos vigilantissime.) Non permittas propter superbiam, ingratitudinem, aut negligentiã nostram nos induci, aut consentire in tentationem aut suggestionem malã mundi, carnis vel diaboli: non sinas nos tentari supra id quod possumus: non sic nos deseras, vt tentatione aliqua impulsi, te rursus offendamus, & in peccatum recidamus.

9 LIBERA NOS A MALO, ô Liberator fortissime, & IESV Saluator benignissime. Libera nos ab omni malo quod pro peccatis nostris patimur, aut pati meremur. Libera nos à captiuitate & seruitute diaboli & peccati: ab ignorantia salutarium: à concupiscentia, malitia & infirmitate. Libera nos à præsentibus & imminentibus peccatorũ nostrorum pœnis & tribulationibus malis: quę scilicet nostram salutem, vel profectum spiritualem impediunt, & conforta ad patiendum eas tribulationes & pœnas, quæ ad purgationem & probationem nostram ac profectum sunt salutares. Postremò libera nos

à malis purgatorij & inferni: quæ nos à tua visione & laude retardarent, aut prorſus impedirent.

10 AMEN: ita, quæſumus fiat, ſicut ardenter & confidenter deſideramus, & petimus: (ô benigniſſime Pater) cuius benignitas, fôs eſt noſtræ exauditionis, & ſpei, *Per Ieſum Chriſtum*, filium tuum prædilectum: in quo tibi ſemper optimè complacuiſti, & in cuius nomine nos petentes exaudire promiſiſti: per omnia quæ aſſumpſit, fecit & pertulit pro noſtra ſalute. *In Spiritu ſancto*, in amore illo, quo eundem filium tuum nobis donaſti, & pro nobis incarnari, pati & mori voluiſti. *Intercedente beata Maria* matre eius, & omnibus Angelis ac ſanctis, quos tanquam amicos & familiares tuos, à nobis vis honorari, rogari, & pro interceſſoribus apud te aſſumi.

EXPLICATIO DECADIS continentis virtutes Theologas & Cardinales.

CAPVT XXVI.

DEVS virtutum, cuius eſt totum quod eſt optimum, ſicut potes, ſcis, & vis, ad tuam gloriam, & noſtram ſalutem

1 INFVNDE NOBIS FIDEM veram, certam, viuam & magnam: per quam te vni-

trinum Deum, ſupremam & infallibilem veritatem credentes: omnibus à te per ſacram ſcripturam, vel Eccleſiam tuam, aut aliter reuelatis, & ad credendum nobis propoſitis: fideliter & firmiter, abſque vllo errore vel hæſitatione aſſentiamus: eaque veriſſima eſſe, indubitata fide credamus, & per ea ad te tendamus, tibique placere ſtudeamus: magnaque fide, ardua quælibet, ad ſalutem vtilia, à te fideliter & abſque hæſitatione petamus, credentes quod tu iuxta promiſſionem tuam, ea nobis concedes.

2 DA NOBIS fidei confeſſionẽ, in opere, in doctrina, & in teſtimonio: quatenus factis & vita fidem noſtrã comprobemus, faciendo quod fides dictat faciendum, & fugiendo quod docet fugiendum: ſperando quod proponit ſperãdum, & ſic de cæteris. Loquamur etiam & alios doceamus fidem verã, & quæ veræ fidei ſunt conſona: nec vnquam erubeſcamus aut timeamus fidem noſtram, & ea quæ ſunt fidei, profiteri coram quibuſlibet fidei aduerſariis.

3 INFVNDE nobis *Spem*, humilem, certam & ardentem. Per quam humiliter de nobis diffidentes: ſed in gratia tua & omnipotenti virtute & miſericordia certò ſperãtes: atque quod in nobis eſt, ſtudioſè facientes: confidamus, ardenter deſideremus, & longanimiter expectemus à te conſequi peccatorum veniam, optatam gratiam, & ſalutariũ petitionum exauditionem, tandemq; æternam beatitudinem.

4 INFVNDE nobis *Charitatem* erga te:

qua te ſolum propter te, & omnia in te ſolo, & propter te,teq́; ſuper omnia diligamus:toto corde,deſiderio,affectione, & voluntate: totaq́; mente,intelligentia,ratione & intentione,& ex tota anima,omnibusq́; viribus et ſenſibus corporis & animæ : efficaciter omnia hæc iuxta tuum beneplacitum occupando & applicando. Amemus te dulciter,abſq; contradictione:veraciter,abſq; errore: prudenter,abſq; indiſcretione, efficaciter,amorem noſtrũ operis exhibitione comprobando:feruenter, tibi placere & obſequi deſiderando, fortiterq́; & perſeueranter, implendo quicquid tibi placet.

4 INFVNDE nobis *Charitatem* erga proximum: qua omnes tuæ beatitudinis capaces amemus *propter te*, hoc eſt, quia tu vis, & tibi placet vt eos amemus: indeq́ue gratum à nobis obſequium ſuſcipis (quod debet eſſe noſtri amoris pręcipuum motiuum & finis.) Amemus eos *in te*,hoc eſt,quatenùs aliquid tuũ ſunt, ad imaginem & ſimilitudinem tuam creati,tuiq́ue filij & à te dilecti. Amemus eos *per te*,hoc eſt per infuſam à te in cordibus noſtris charitatem, ordinantem & ad te referentem omnem alium amorem naturalem, acquiſitum,rationalem ac mercenarium:vitioſum verò & carnalem amorem reſcindẽtem & refugientem. Amemus, inquam,proximos,bona quælibet ad ſalutem eorum vtilia illis optando, & pro viribus procurãdo, & de eorũ bonis tanquam propriis gaudendo,tibiq́; gratias agendo:mala verò quęlibet eorum ſaluti æternæ noxia odiendo, depre-

cando, fugiendo, propellendo & impediẽdo pro viribus: ac de eorum talibus malis intimè dolendo, compatiendo, & pro illorum liberatione & ſubleuatione laborando: atque etiam animas noſtras, vbi opus eſſet, ponendo pro eorum ſalute æterna.

6 DA NOBIS *Fortitudinis* virtutem: per quam ardua quæq; propter te viriliter aggrediamur, proſequamur & perficiamus, fortiter reſiſtamus tentationibus mundi, carnis & diaboli, te ſolum timentes, prẹter te nullũ timeamus, aduerſaq; omnia forti animo expectemus, & vſque in finem toleremus.

7 DA NOBIS *Iuſtitiæ* virtutem: per quã vnicuique quod ſuum eſt reddamus: tibi ſupremam adorationem, & amoroſum obſequium: ſuperioribus noſtris reuerentiam, & obedientiam, inferioribus & ſubditis cuſtodiam, correctionẽ & ſubuentionẽ: omnibus proximis conſilium & auxilium. Per quã etiam omnia quæ noſtra vocatio, ſtatus vel officium à nobis requirunt debitè perficiamus.

8 DA NOBIS *Temperantiæ* virtutem: per quã à carnalibus deſideriis, & ſuperfluis vel inordinatis & illicitis voluptatibus & delectationibus abſtineamus, ſenſuſque noſtros omnes à vitioſis retrahamus exceſſibus.

9 DA NOBIS *Prudentiæ* virtutem: Per quam finem bonum & debitum in omnibus nobis proponamus, videlicet tui ſolius honorem & beneplacitum: propter quod purè omnia agamus, dimittamus, patiamur. Per quam deinde eligamus & aſſumamus media ad hunc finem conuenientiora: in dubiis &

grauioribus consilium à peritis & bonis petamus & sequamur, discernamus laqueos diaboli, & naturæ quæstiones, errores & excessus eosq; vitemus: Aduertamus prudenter vniuersa exteriora & interiora quæ nobis agenda incumbunt, eaq; suis tempore, modo, ordine & loco debitis exequamur, inter plus & minus, medium virtutis sectantes. Per quã denique prudenter præterita recolamus & intelligamus: præsentia sapiamus & sapienter disponamus: futura & nouissima præuideamus salubriter.

10 DA NOBIS in omni virtute profectum & perseuerantiã: sic vt omni negligentia, tepore & otio profligatis, strenuè, feruẽter & operosè de die in diem proficiamus in exercitio virtutum, & perseueremus vsq; in finem, donec Spiritus nobis dicat, vt requiescamus à laboribus nostris.

EXPLICATIO DECADIS præcepta decalogi continentis: in qua ille ordo præceptorũ qui in Exodo positus est, quodãmodò variatus est, vt decadis huius articuli, aliarum decadum articulis magis conuenirent.

CAPVT XXVII.

O Præceptor superdignissime (qui nihil nisi iustum, sanctum, & salutare præcipere

potes, iube quod vis, & da quod iubes. Sicut ergo potes, sicut scis & sicut vis, da nobis scire, velle & posse propter te, secundùm te, & per te perfectè implere tua præcepta, quæ in Decalogo nobis proprio digito descripsisti, & dedisti.

1 DA IGITVR & fac vt te solum vnitrinum Deum verum & vnum, adoremus & tibi soli seruiamus: fide vera & firma credendo quicquid Ecclesia vel sacra scriptura de te aut secundùm te proponit credendum: & quicquid non approbat vel reiicit, recusando. Tibi soli latriæ cultum & supremum sacrificium exhibendo: tuam voluntatem in omnibus & præ omnibus amplectendo & implendo. Spe sancta in omni euentu in te confidendo, & æternam beatitudinem à te, per gratiam tuam, & operum bonorum perseuerantiam confidenter expectando. Da etiam vt fugiamus & detestemur omnem idololatriam, superstitionem, magiam, diuinationem, dęmonum inuocationem & venerationem, & omne cum illis pactum & familiaritatem: fugiamus etiam omnem infidelitatē, tui tentationem, dubitationem in fide, hæresim, errorem, fidei negationem verbo vel signo, inobedientiam, desperationem, præsumptionem.

2 DA VT NOMEN tuum nunquam in vanum assumamus. Nunquam illud absque reuerentia cogitemus, nominemus: vel audiamus: nec pro vanis illud inuocemus. Nūquam per illud iuremus absque veritate, re-

 ueren-

ıerentia, & necessitate. Vota & promissa vel proposita sancta in nomine tuo, seu ad honorem tui nominis, & cum inuocatione tui nominis facta, fideliter, confidenter, fortiter & perseueranter tibi reddamus, & integrè impleamus. Abstineamus autem ab omni iuramento vano, irreuerenti, non necessario, iniquo, falso vel dubio, dubitantes de aliquo nunquam assertiuè illud iuremus. Nunquam iuremus promittendo, & non intendendo seruare, vel comminando. Nunquam iuremus vel voueamus facere aliquod malum. Nunquam simus in aliis talium causa directa, vel indirecta: alios ad talia inducendo prece vel pretio. Abstineamus ab omni blasphemia & iniuriosa locutione cõtra te, vel sanctos tuos.

3 DA ET FAC vt Sabbata tua & festa, ad honorem tui & Sanctorũ tuorum ab Ecclesia nobis cõstituta, sanctificemus & deuotè celebremus, abstinẽdo in eis ab omni opere seruili non necessario: & ab omni alio per Ecclesiam prohibito illis diebus fieri. Missæ sacrificium & diuinum officium, verbique diuini prædicationem deuotè audiendo aut persoluendo. Consciẽtiæ, discussioni & purgationi, aliisq; spiritualibus exercitiis rationabiliter insistendo, & Sacramenta Ecclesiæ venerando: oportunisque temporibus debitè frequentando, & omnem irreuerentiam in cultu diuino fugiendo.

4 DA ET FAC, vt propter te, & secundùm te *honoremus parentes nostros*, carnales, Spirituales, & oẽs nobis tua ordinatione prælatos

latos & præpositos. Honoremus, inquam, illos corde, ore, & opere. Corde non ficto eos amãdo, & sublimiter de eis propter tuam ordinationem sentiendo, ac in reuerentia interna eos habendo. Ore & gestu honorem & venerationem illis exhibendo, nec vmquàm cum illis iocando, contendendo, aut aliter irreuerenter nos habendo. Opere & veritate illorum iustis præceptis obediendo: eorumq; veris indigentijs pro nostra facultate & virtute succurrendo: eorum defectus aut ignorando, aut tegendo: vel ex charitate cum omni humilitate eos monendo, aut moneri faciendo.

5 DA VT NEC falsum testimonium vnquam feramus: nec mendacium vllum loquamur, vel loqui proponamus: nec signis, aut factis, vel dolis veritatem occultemus, aut aliquem decipiamus. Abstineamus etiam à detractionibus, contumelijs, susurrationibus, & maledictionibus: à loqutionibus sophisticis non ad mentem interrogantis, præsertim cùm tenemur verum respondere: nec taceamus quod tenemur dicere. Caueamus ab imprecationibus vel maledictionibus alicui personæ vel creaturæ faciendis: & à contentionibus, rixis, & alijs verbis malis vel indisciplinatis, aut etiam otiosis.

6 DA VT NVLLVM HOMINEM, nisi fortè in iusto bello, aut ex authoritate iustitiæ, vel pro nostri defensione, seruato moderamine inculpatæ tutelæ, (maximè, cùm aliàs certissimum nobis vitæ periculum immineret) occidamus, percutiamus, aut

quouis modo in corpore lædamus, per nos aut per medium cuiuſcunque perſonæ, aut creaturæ. Nec id facere deliberata ratione conſentiamus vel proponamus, aut etiam duntaxat deſideremus. Nec alijs id facientibus, quouis modo conſentiamus aut faueamus. Non procuremus nec deſideremus alicui malũ in corpore vel anima, aut fama & honore, ex odio aut fine malo, vel quouis modo ſalutem proximi præpediente: nec de tali malo gaudeamus. Non vindicemus noſmetipſos, nec malum pro malo reddamus, ſed dimittamus ex corde offenſam his qui nos læſerunt. Nec ſubſtrahamus eis communia beneficia.

7 DA VT NVLLVM omninò furtum committamus. Nihil alienum inuito Domino vſurpemus aut retineamus. Nihil iniuſto titulo poſſideamus. Nihil iniuſto medio acquiramus. Superflua noſtra egentibus nõ negemus. Vſuram omnem, ſymoniam, ſacrilegium, rapinam, & cæteras furti ſpecies deteſtemur & fugiamus.

8 DA VT ALIENVM nihil concupiſcamus, vel deliberata ratione & voluntate deſideremus iniuſto medio, habere, & poſſidere: ſed potiùs ſpiritu & volũtate pauperes ſimus.

9 DA VT DETESTEMVR, & fugiamus omnem copulam carnalem extra legitimum matrimonium: omnem mollitiem & tactum, complexum, vel oſculum impudicum: deniq; omnem familiaritatem ſenſualem, cauſantem pruritum, vel libidinem:

omnem-

omnemque morosam delectationẽ, aut consensum in aliquo prædictorum.

10 DA VT TE AMEMVS & diligamus toto corde, affectione & desiderio, dulciter & absque contradictione. Tota mente, memoria, intelligentia & intentione, veraciter & sapienter. Tota anima & ex omnibus viribus & sensibus mentis & corporis, efficaciter, feruenter & fortiter.

Diligamus etiam omnem proximum sicut nosipsos. *Propter te*, quia ita vis à nobis fieri: *in te*, quia tuus est filius, & à te redemptus: *ad te*, id est, ad hoc quòd perueniat ad tui fruitionem: *per te*, id est, (per charitatem à te infusam: *Et secundùm te*, sicut tu prior nos dilexisti, dulciter, prudenter, sapienter, efficaciter, fortiter, liberaliter, castè, ordinatè, & perseuerante.

EXPLICATIO DECADIS continentis dona Spiritus sancti: quæ sunt habitus à Deo infusi, quibus homo disponitur, & perficitur ad hoc, quòd promptè faciliter sequatur instinctum, seu motionem immediatã Spiritus sancti. qui modo quodam superhumano in repẽtinis mouet hominem ad operandum absque discursu, prout vult, & quomodo vult.

CAP. XXVIII.

O benignissime IESV, cui non ad mensuram datus est Spiritus, de cuius plenitudine nos omnes accepimus: sicut potes, scis & vis.

1 REPLE nos spiritu timoris tui, *reuerentialis*: quo ex consideràtione tuæ immensæ Maiestatis diuinæ, profundè coram te humiliemur: & cum reuerentia semper & vbique coram te ambulemus, & stemus: tibique cum tremore exultemus. Reple etiam nos Spiritu *timoris filialis*, quo semper & vbique timeamus, & sollicite caueamus te offendere: tibique vel in minimo displicere. Denique reple nos *timore tuo casto*, quo metuamus, & sollicitè præcaueamus

mus à tua gratia, tuisque castis amplexibus separari.

2 REPLE nos Spiritu *Pietatis* internæ & deuotionis: quo de te semper sentiamus in bonitate: piè & deuotè erga te afficiamur: te in spiritu & veritate adoremus & colamus, promptamque semper habeamus voluntatem tibi seruiendi, tuumque beneplacitum perficiendi: etiam tentationis & ariditatis tempore, quando absque sensibili deuotione sumus.

3 REPLE NOS Spiritu *Pietatis* erga proximos, Quo propter te, & secundùm te, piè, suauiter, & beneuolè afficiamur erga proximos omnes: eos præsertim, qui affinitate, societate aut beneficijs, seu alia diligendi ratione nobis sunt propinquiores, benè de eis sentiamus, & eorũ facta & dicta, quantum salua veritate poterimus, in meliorem partem interpretemur: eorumque miserijs & malis, velut proprijs, cõpatiamur, & pro viribus succurramus: bonis autem, & profectibus eorum, tanquam nostris congratulemur & cooperemur.

¶ *Donum pietatis hic in duo dona est diuisum, vt de- cas compleretur.*

4 REPLE NOS *Spiritu tui* amoris: Quo te propter te, super omnia amemus, eligamus, appetamus & quæramus. Tbique omne bonum, gloriam & honorem summè desideremus, de omni bono, gloria, & beatitudine tua intimè gaudeamus. Tibi propter te

placere,& ex amore puro seruire, gratumque in omnibus obsequium præstare desideremus,& pro viribus semper conemur. Omnia etiam propter te,& in te, ac secundùm te dil gamus:& ad te rferamus.

¶ *Amor diuinus hic inter dona computatur, vt decas compleatur, quamuis sit potiùs radix & origo omnium donorum, quàm speciale donum.*

5 REPLE NOS *spiritu scientiæ*: Quo sciamus & prudenter consideremus nostram vilitatem & nihileitatem: peccatorum nostrorum & totius mundi multitudinem, grauitatem, reatum, damna & vulnera, ac pericula: mundi huius & omnium quę in eo sunt vanitatem, instabilitatem, & multiplicem miseriam: & cætera quæ ad pium luctum, & salutarem dolorem nos excitare, & iuuare possunt.

6 REPLE NOS *spiritu fortitudinis*: Quo ad faciendos dignos pœnitentiæ fructus excitemur & confortemur: ardua quæque & difficilia propter te viriliter aggrediamur, prosequamur & perficiamus: tentationibus & hostibus nostræ salutis fortiter resistamus: nullisque siue aduersis siue prosperis, à tua charitate vnquàm separemur, vel tepescamus.

7 REPLE NOS *spiritu consilij*: Quo quid tibi sit magis acceptum omni tempore, & quid à nobis exigas, sollicitè semper inquiramus: & ex te intùs, vel ex tuis vicarijs aut scripturis, audiamus: clarè & sine perple-

xita-

xitate vel dubitatione agnoſcamus: & amanter, fideliter, confidenter ac fortiter illud impleamus. Quo etiam audiamus, videamus, & inclinata aure, promptaque voluntate perficiamus quicquid conſulueris. Quo denique conſilia tua Euangelica intelligamus, & ſequamur.

8 REPLE NOS *ſpiritu intellectus*: Quo mundo corde & purificatæ mentis intelligentia clarè intelligamus & contemplemur tuã diuinam maieſtatem, ſapientiam, bonitatem, charitatem, cæteraſq; perfectiones tuas: & vniuerſa fidei noſtræ myſteria non ſolùm credamus: ſed etiam credẽdorum rationes ſpeculemur & intelligamus, quantum ſalua fide fieri poterit: parati omni poſcenti reddere rationem de ea quæ in nobis eſt fide.

9 REPLE NOS *ſpiritu ſapientiæ*: Quo ſingula & omnia cum conuenienti ſibi ſapore & guſtu ſapiamus: præſertimque diuina guſtemus, & per ſapidam & amoroſam cognitionem apprehendamus & aſſequamur: tandemque aliquando inebriemur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potemur.

10 REPLE NOS *gratia tua*: Quæ donorum omnium radix eſt, & fundamentum, atque in primis reple nos gratia tua *gratificante*: per quam nos tibi gratos & acceptos, tuæque vitæ æternæ hæredes, & in ſpe (quã diu in via ſumus) participes facias. Reple etiã nos gratia tua *cooperante* & efficaci, per quam ad omnia tibi placita nos moueas, adiuues, & perficias. Reple nos denique gratiæ tuæ

muneribus *gratis datis*, quantum ad tuum honorem promouendum, & ad noſtram proximorumque ſalutem & ædificationem procurandam nobis noueris eſſe neceſſarium.

EXPLICATIO DECADIS continentis Euangelicas beatitudines, quæ octo tantùm in Euangelio ponuntur. Sed hic vt decas compleretur, illis adiunctæ ſunt duæ virtutes, humilitas ſcilicet, & obedientia.

CAP. XXIX.

Dator, Largitor & Remunerator beatitudinum IESV beatiſſime, quia vis, & ſicut potes, ſcis & vis: fac nos tui amore & imitatione, tuoque dono ac merito, beatitudines viæ ſic aſſequi & exercere, vt ad beatitudines patriæ mereamur poſt mortem tecum fœliciter peruenire.

Eya igitur:

1 FAC NOS *humiles* corde, cognoſcendo nos propter noſtrã nihileitatem, vilitatem, imperfectionem, & multiplicem iniquitatem omni humiliatione digniſſimos: & propter te, omnẽ humiliationem, contemptum & abiectionem deſiderando, & cum gaudio ſuſcipiendo. Fac nos

etiam *humiles* ore: pauca & rationabilia verba humiliter & modestè proferendo. Denique fac nos *humiles* opere, humiliora quæq; & abiectiora in omnibus semper eligendo & amplectendo, quantum tui honoris & propriæ salutis ratio consuluerit.

2 FAC NOS *Pauperes* Spiritu, & voluntate ac intentione spirituali: sic vt nihil præter te, aut nisi propter te, & secundum te habere concupiscamus, vel retineamus: nihil cum proprietate & affectus adhæsione possideamus.

3 FAC NOS *Mites*, sic vt in aduersis à te nobis illatis, qualia sunt infirmitates variæ, damna rerum & amicorum, incommoda præsentis vitæ, & similia, non murmuremus, nec inordinatè tristemur aut animo deiiciamur: Sed ea de paterna tua prouidentia & charitate in bonum nostrum missa credentes, læto & grato animo illa propter te toleremus. In aduersis verò, quæ à proximis, aut creaturis aliis nobis inferuntur: non irascamur, nec vindictam vllam appetamus vel inferamus. Sed grauiora nos pro peccatis nostris meruisse recognoscentes: hæc tanquam à te in purgationem & probationem nostram permissa & ordinata, propter te tranquillo & mansueto animo feramus. Imò etiam piè & benignè afficiamur erga eos qui nobis aduersa illa infligunt, tanquam erga benefactores nostros, qui nobis occasionem præbent multiplicis profectus & lucri spiritualis.

4 FAC NOS *Obedientes*, sic vt quicquid

tu

tu per te, aut per Vicarios tuos Superiores nostros, nobis præceperis vel consulueris, quantumuis proprio nostro iudicio aut voluntati contrarium fuerit, propter te tamen, & quia illud consulis, rectum & vtile nobis credamus: & propterea id amplectamur, ac perficiamus simpliciter & fideliter, humiliter & confidenter: magnanimiter & fortiter: liberaliter & hilariter: feruenter & perseueranter, ad tuam gloriam & omnium salutem.

5 FAC nos *lugentes*: per *contritionem* de peccatis contra diuinam tuam Maiestatem & bonitatem, per nos & proximos nostros commissis: per *compaßionem*, de proximorum damnis, & miseriis præsentibus & futuris: per *deuotionem*, ex feruore orationis, & desiderio cęlestium virtutum & præmiorum.

6 FAC nos *Esurientes* iustitiam: sic vt continuo & ardenti ac efficaci desiderio & studio procuremus, nos & cæteros omnes, fugere & vitare quicquid tibi displicet, facere quod tibi placet, & vnicuique quod suum est reddere: videlicet superioribus reuerentiam & obedientiam, subditis custodiam, disciplinam, & subuentionem, æqualibus & omnib. amorem, consilium & auxilium.

7 FAC nos *Misericordes*: sic vt miseris omnibus propter te & secundũ te compatiamur: & optemus, ac studeamus, quantum poterimus, illis succurrere: opera misericordiæ spiritualia & corporalia illis impendendo, iuxta singulorum necessitatem, & nostram facultatem.

8 FAC nos *Mundicordes*: sic vt à vanis cogi-

tationibus & imaginibus, à curiosis speculationibus, erroribus & scrupulositatibus: ab inordinatis passionibus, affectionibus, & voluntatibus purgati: pura simplici & stabili memoria, intelligentia & voluntate te recolamus & adoremus, te contemplemur & glorificemus, te amemus; & ex amore tibi adhæreamus & seruiamus in æternum.

9 FAC nos *Pacificos* tecum, pro præteritis peccatis dignè pœnitendo; à futuris sollicitè præcauendo: & tuę voluntati semper & in omnibus perfectè adhærendo. Fac nos etiam *pacificos* cum proximis: ab omni eorum offensa & scandalo studiosè præcauendo: his quos forte læserimus aut irritauerimus, dignè satisfaciendo, eosq́ne pro viribus placando: illis autem qui nos offenderint, ex corde ignoscendo, pro eis orando, & in bono malũ eorum vincendo. Denique fac nos *pacificos* inter proximos: discordantes ad pacem reuocando, oratione consilio, & auxilio: & pro peccatorum reconciliatione & emendatione, tuęque iræ ab illis auersione, deuotè obsecrando & laberando.

10 FAC nos persequutionem pati propter iustitiam fidei, vitæ & æquitatis, sic vt pro defensione & confessione fidei, pro vitæ sanctitate, & pro iustitia vnicuique reddenda, libenter & cum gaudio patiamur quemcunque laborem, contradictionem, & persequutionem aut aduersitatem.

EXPLI-

EXPLICATIO DECADIS continentis fructus Spiritus sancti, qui plures hic quam ab Apostolo in Epistola ad Galatas enumerantur, additis quibusdam, quæ ad eorum gustum & perfectionem vtilia, vel necessaria visa sunt.

CAPVT XXX.

Suauissime IESV, vt in omni euentu tibi perfectè adhærere & placere possimus: sicut potes, scis & vis, refice nos sequentibus Spiritus tui fructibus & effectib⁹ semper & vbique, tam in aduersis quam in prosperis.

1 REFICE NOS TVA *laude & gratiarum actione*: sic vt in omni euentu laudemus tuam paternam prouidentiã, & benignitatem: sine cuius ordinatione & dispositione nihil prorsus euenit, & per quã facis omnia tuis electis te diligentibus cooperari in bonum. Et ex huius tuæ prouidentiæ dispositione, omnia immediatè suscipientes: gratias tibi agamus pro tuæ voluntatis impletione, pro tuo amore, & pro omni bono ad quod singula ordinasti.

2 REFICE NOS vera *humilitate & nostri abnegatione*: sic vt in omni euentu agnoscamus nos omni tuo beneficio indignos, &

omni pœna & afflictione dignissimos, atque ad omne bonũ insufficientes & infirmos: propriumque iudicium & voluntaté prorsus abnegemus, & in nullo nosmetipsos, aut proprium commodum extra te quæramus: sed tuum honorem & beneplacitum solum, iuxta tuam & Superiorũ nostrorum, tuorum erga nos Vicariorum arbitriũ & dispositioné.

3 REFICE nos feruenti *Obsecratione*, plena confidentia, & integra resignatione: sic vt deuotè ac feruenter obsecrantes, pro peccatorum venia, pro gratiæ tuę abundantia, & pro beneplaciti tui circa nos & cætera omnia impletione, piè & plenè confidamus quod tu nos exaudies, & omnia in bonum cooperari facies nobis, tibi per fidem, spem & charitatem adhærentibus: sicque cum hac confidentia integrè nos, & omnia nostra interiora & exteriora, cunctaque creata, tuæ voluntati & dispositioni resignemus & cõmittamus, parati recipere & ferre quicquid volueris aut permiseris in tempore & æternitate.

4 REFICE nos *Charitate & gaudio*: sic vt charam, pretiosam & amorosam spiritus vnitatem, & nostræ voluntatis cum tua voluntate veram concordiam & conformitatem sollicitè seruantes: gaudio spirituali ex hac vnione & charitate resultante, perfundamur & de tuæ voluntatis impletione lætemur.

5 REFICE nos *Interna pace & patientia*: sic vt in omni pressura & afflictione pacem & tranquillam cum tua voluntate concordiam seruantes, ab omni inordinata tristitia & impatientia liberemur.

6 RE-

6 REFICE nos *Longanimitate* & mansuetudine: sic vt quantumuis tribulatio duret, aut tu nos exaudire & cōsolari differas: semper tamen longanimi spe in te confidamus, & in oratione perseueremus. Atque aduersa quælibet mãsuete, absq; amaritudine, ira, vel murmure, propter te, toleremus quandiu volueris.

7 REFICE nos *Bonitate*, & benignitate, sic vt erga omnes, etiam eos qui nos oderunt vel persequuntur, beneuole afficiamur: bona illis salutaria optemus, & quoties sese occasio obtulerit illis benefaciamus, & auxiliemur, in his quæ ad veram eorum salutem pertinuerint.

8 REFICE nos *Fide, fidelitate & modestia*: sic vt firma fide in te confidentes: fideliter vota & proposita pro tuo honore facta seruemus. Et cum omnia perfecerimus, modestiam humilitatis in corde, ore, & opere custodiamus: nihil nobis arrogantes: non nos ipsos iactantes aut laudantes, nec in magnis ambulantes, vel de nobis præsumentes.

9 REFICE nos *Continentia & castitate*: sic vt sensus nostros, & vires oẽs animæ & corporis à & noxiis & vanis oblectationibus viriliter & fortiter abstinentes & continentes: tranquillam tandem mentis & corporis castitatem & puritatem consequamur.

10 REFICE nos *Innocentia & securitate*, sic vt ab omni culpa, & tui vel proximi offensa, per veram pœnitentiam nos purificantes: & per sollicitam custodiam præcauentes: teque solum offendere timentes, ab omni vano ti-

more mundi, carnis, vel diaboli liberemur, & secura mente tibi seruiamus: certi, quod nulla nobis nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.

11 REFICE nos *Prudentia cordis & oris sapientia*: sic vt prudenter tuum honorem & beneplacitum in omnibus & ante omnia intendentes & quærentes, conuenientiora ad hoc media eligamus: discernenteſque laqueos inimici, & proprias naturæ quęſitiones; ac errores, ea vitemus. Illa verò quæ nobis agenda incumbunt prouide aduertentes: suis debito loco, tempore & modo impleamus, & omnes sermones nostros in gratia tua sale discretionis condiamus, sic vt ædificationem præstent audientibus: donesq; nobis os & sapientiam cui non possint resistere aduersarij nostri.

12 REFICE nos *Simplicitate & finali perseuerantia*: sic vt simplici intentione te quærentes, & omnia immediatè de paternæ tuæ prouidentiæ dispositione & ordinatione suscipientes: omnia etiam in te, & ad te simpliciter referamus, & ex omnibus fructum aliquem ad tuum honorem referre ac elicere studeamus. Atque in his omnibus de die in diem proficientes, vſque in finem pro tui nominis amore, te donante perseueremus.

EXPLICATIO DECADIS continens vota & exercitia monasticæ Religionis.

CAPVT XXXI.

O Eductor, vocator & susceptor noster, benignissime IESV, verè admirabilis, consiliarius, DEVS fortis, qui nos à seculi vanitate conuersos ad brauium supernæ vocationis per iter disciplinæ regularis, capessendũ, accendis: da nobis, sicut doces, scis & vis, vota tibi promissa & nostræ vocationis exercitia fideliter reddere & implere. Atque imprimis,

1 DA PROMISSAM tibi reddere *Stabilitatem:* sic vt in assumpto sanctæ religionis Monasticæ statu & habitu, voluntate, & actu, vsque ad mortem pro tui amore perseueremus: nec vnquam absque superioris licentia, terminos monasterij nostri egrediamur: sed nec importunè petamus ad aliud monasterium transferri.

2 DA PROMISSAM tibi reddere *Obedientiam:* sic vt superiores ab ordine datos propter te reuereamur, amemus & honoremus: nostrumque sensum, iudicium, intellectum, atque voluntatem propriam, eorum iudicio & voluntati, ac mandato subiiciamus, & inobedientiæ obsequium captiuemus: fideliter, fortiter, & amanter propter

te implentes, quicquid illi mandauerint aut consuluerint, quod non sit apertè contra tuã voluntatem.

3 DA PROMISSAM tibi reddere *Conuersionem morum*: sic vt seculares ritus & mores, vitiosasque omnes affectiones deserentes, & mortificare studentes: nostri ordinis constitutiones, ceremonias & laudabiles consuetudines omnes sollicitè seruemus: nullamque ex his contemnamus: sed si fortè aliquã trãsgressi fuerimus, statim pœniteamus: ordinisque disciplinas libenter subeamus, & de die in diem in omni virtute proficere: atque ad charitatis perfectionem per obseruantias regulares pertingere conemur.

4 FAC nos *Diuinum Officium canonicum* & debitum, dignè & integre semper persoluere: cum interiori & exteriori reuerentia, cor in tua diuina præsentia custodiendo: oculos cohibendo, & honestam omnium membrorũ compositionem seruando: cum vigilanti attentione & intelligentia: cum deuotione, alacritate & feruore: cum ceremoniis debitis, tempore & loco congruis.

5 FAC nos *Vigiliis* studijs ac lectionibus conuenienter & vtiliter insistere: sic vt horis ad vigilias sacras deputatis, nunquam surgere differamus, nec dormitemus, aut tepidi & otiosi remaneamus: sed nec vanis & curiosis occupemur, quin potius totum sacrarum vigiliarum tempus ab ordine seu regula constitutum, deuotis & spiritualibus exercitiis vigilanter & feruenter impendamus, & aliis similiter temporibus quibus per nostra statu-

ta monemur ſpiritualibus vacare, inſiſtamus deuotè ſanctis meditationibus, aſpirationibus, orationibns, diuinis laudibus, piis lectionibus & ſimilibus, ad tuam gloriam & omnium ſalutem.

6 FAC nos quandiu ſani & robuſti ſumus, integrè & fortiter ſeruare ordinis noſtri *Ieiunia*, abſtinentias: veſtium vtilitatem & aſperitatem: ſtrati duritiem, & alias auſteritates.

7 FAC nos religioſam ſemper amplecti *Paupertatem* & ſeruare: ſic vt nihil prorſus nobis proprium dicamus, habeamus, vel habere deſideremus. Nihil abſque ſuperioris conſenſu petamus, recipiamus, retineamus: nec demus, mutuemus, aut quouis modo alienemus. Nihil etiam ſuperfluum, curioſum, nimis pretioſum, & religioſę paupertati & ſimplicitati minus conueniens appetamus vel retineamus. Sed in omnibus ſimplicem neceſſitatem, parcitatem, attritionem, vilitatē, & abiectionē amemus & amplectamur. Nullum prorſus dominium, vſumfructum, aut aliud proprietatis ius vel titulum, in his quæ ad vſum nobis conceſſa ſunt vendicemus: ſed omnibus tanquam mutuo acceptis vtentes; iuxta ordinis & ſuperiorum noſtrorum intentionem: paratum ſemper animum habeamus, omnia in manus ſuperioris reſignare & ponere, quoties ipſe requiſierit.

8 FAC nos *Cellæ & ſilentij* ſacras, & ad profectum ſpiritualem perquàm neceſſarias leges ſtudioſè & integrè ſeruare: ſic vt exceptis horis ad exeundum ſtatutis, cellam non ex-

eamus,

eamus, nisi pro necessaria causa: sed in ea ordinatè, discrete & fructuosè nos occupemus, orando, meditando, legendo, vtiliter laborãdo aut quod iussum vel cõsultum aut necessarium est faciendo. Silentium verò, nisi cum licentia vel ex necessaria causa, nunquã frangamus, præsertim in Ecclesia, Capitulo, Claustro, & Refectorio.

9 FAC nos *Religiosam seruare castitatem*, sic vt vxorem ducere nunquam præsumamus, vel desideremus: omnesq́; impudicos aut periculosos aspectus, attactus, amplexus, oscula, sermones, lectiones, cogitationes sollicite vitemus. Et quoties aliquid carnale menti occurrerit: per amorosam ad te conuersionem statim id repellamus: sensusque nostros & membra omnia ab omni inquinamento pura & sanctificata per tuam gratiam seruemus.

10 FAC nos & cordis *Puritatem & charitatis* perfectionem prædicta omnia ordinare & referre. Sic vt per illa consequamur veram cordis munditiam; à vitiorum & passionum inordinatarum tumultibus & seruitute liberam: & integram, continuam, feruentem & efficacem erga te & proximos omnes charitatem, dilectionem, & sanctam concordiam & pacem: Ad tuam gloriam & omnium salutem.

EXPLICATIO DECADIS continentis virtutes morales, vitiis capitalibus oppositas.

CAPVT XXXII.

Domine DEVS virtutum author, largitor, conseruator & remunerator, sicut potes, scis, & vis, fac nos habitus virtutum moralium assequi, & propter te ac secundum te studiosè exercere.

1 DA NOBIS igitur virtutem, habitum & actum *humilitatis*: sic, vt vtilitatem, imperfectionem & multiplicem iniquitatem nostram verè agnoscentes: ex corde nos vilipendamus & humiliemus: nihil nobis boni arrogemus: de nullo bono tanquam nostro gloriemur, vel iactemus: nulli nos præferamus: sed potius omnibus nos (quantum ex nobis est) viliorés, imperfectiores & iniustiores agnoscimus: nec appetamus ab aliis in pretio & ęstimatione magna haberi, laudari, honorari, aut ad dignitates promoueri: sed quales nos verè agnoscimus, hoc est, viles, imperfectos & vitiosos: tales desideremus & gaudeamus ab aliis reputari, dici & haberi, atque pro talibus contemni, humiliari, castigari, & affligi.

2 DA NOBIS virtutem *verecundiæ*, taciturnitatis & modestiæ. quatenus aliquid indecens

decens nostræ conditioni, statui, & ætati cogitare, dicere vel agere erubescamus & præcaueamus: de nostris culpis & defectibus reprehensi vel moniti, nos non excusemus, sed verecundè & humiliter culpam nostram veraciter agnoscamus. Taceamus vsque ad interrogationem, aut necessariam vel vtilem causam: breuiterque absque verborum multiplicatione, quod loquēdum est eloquamur. Ab omni otioso, nociuo vel inordinato verbo sollicitè præcaueamus: denique in omni gestu, verbo, & opere nostro humilem modestiam seruemus & exhibeamus: fugientes omnem arrogantiam, ostentationem, præsumptionem, elationē, ambitionem & superbiam.

3 DA nobis virtutem *patientiæ*: per quam omnia dura & aduersa vndecunq; nobis proueniant, de tuæ plusquam paternæ prouidentiæ & benignitatis ordinatione semper suscipientes: ea quandiu durauerint propter tui amorem amplectamur, & toleremus, non solum absque inordinata tristitia, tædio vel impatientia, sed etiam cum gaudio & gratiarū actione: confidentes quod omnia facies nobis in bonum cooperari, si tibi per fidē, spem, & charitatem adhærere studuerimus.

4 DA nobis virtutem *abnegationis* & odij nostri ipsius: per quam nostrum proprium iudicium & voluntatem (quibus aliqua non propter te, nec secundum te, putamus vtilia & desideramus) tāquam vitiorum omniū radices præcipuas, verè noxia iudicemus, odio habeamus, abnegemus, relinquamus, mortificemus, persequamur, castigemus. & sub tuo

& superiorum nostrorum consilio & voluntate captiuemus & subiiciamus. Semper & in omnibus, non quod nos iudicamus aut volumus: sed quod tu & superiores nostri nobis consulitis & vultis, bonum & vtile credamus, amplectamur, & sequamur: quantumuis nostro iudicio aut voluntati contrarium sit. Quicquid verò tu, & superiores nostri dissuadetis, & non vultis per nos fieri: id quantumuis nostro iudicio vtile, aut volũtati nostrę delectabile & desiderabile fuerit: nociuũ esse credamus odio habeamus, fugiamus, & persequamur, vt sic amorem nostri priuatũ & inordinatũ, per odium nostri sanctum abiicientes & mortificantes: in amore tuo proficiamus & perseueremus.

5 DA nobis virtutem *Amicitiæ*, & charitatis fraternæ: per quam omnes proximos, tuæ beatitudinis capaces, etiam eos qui nos oderunt vel actu persequuntur propter te, & secundum te amemus: tanquam filios tuos, ad imaginem & similitudinem tuam creatos: & tanquam fratres nostros & cohæredes, magni eos faciamus: benè de eis iudicemus: bona quæque eis salutaria optemus, & pro virili procuremus: atque de illis tanquam de propriis gaudeamus, tibique gratias agamus. Mala verò quęque eorum saluti contraria & nociua deprecemur, impediamus, & si contigerint, de illis tanquam de propriis malis tristemur, & pro eorum liberatione rogemus & laboremus: quantum occasio & facultas nostra concesserint.

6 DA nobis virtutem *Strenuitatis* & dili-

gentiæ:per quam tuam in omnibus voluntatem impleamus, ſtrenuè & alacriter, abſque pigritia, & torpore: vigilanter & diligenter, abſque ſomnolentia & negligẽtia: deuote & feruenter, abſque acedia & tepore.

7 DA nobis virtutem *Liberalitatis*: per quam bona quæ habemus, proximis egentibus propter te erogemus, voluntariè & hilariter: gratis & liberaliter, abſque retributionis intentione vel expectatione: diſcretè, & ordinate, iuxta vniuſcuiuſque indigentiam, gradum & ſtatum, noſtramque facultatem, & rectæ rationis dictamen.

8 DA nobis virtutem *Sobrietatis*: per quam in cibo & potu ſumendi tempus debitum nõ præueniamus: menſuram noſtræ conditioni & ſtatui conuenientem non excedamus: lautiora & exquiſitiora non exquiramus: nimiã auiditatem & effuſionem ſuper cibum fugiamus: & ſola noſtræ ſanitati & conditioni neceſſaria vel vtilia habere & ſumere deſideremus & acquieſcamus, illiſq; cum præuia benedictione, & ſequenti gratiarum actione, modeſtè, ſobriè & deuotè vtamur: ad tuam laudem & noſtram in tuo ſeruitio confortationem.

9 DA nobis virtutem *Caſtitatis*: per quam omnes impudicos & periculoſos cogitatus, ſermones, aſpectus, attactus, amplexus, oſcula, familiaritates, & quaſcunque luxuriæ & immunditiæ ſpecies & modos, ſollicitè vitemus, vt pura mente, caſtoque corpore tibi ſeruiamus & adhæreamus.

10 DA Nobis *virtutem omnem & gratiam*:

 per

per quam quicquid nobis præcipis aut consulis, viriliter, diſcretè & amanter impleamus: quicquid verò diſſuades aut prohibes, fortiter & prudenter fugiamus, recuſemus & repellamus: & in his de die in diem proficientes, vſque in finem perſeueremus.

EXPLICATIO DECADIS continentis vitia capitalia, quæ licet ſeptem tantum aut octo à Theologis enumerentur: hic tamen vt denarius numerus compleatur, ſuperbia & vana gloria in duos numeros ſunt diuiſæ: & amor priuatus, (qui eſt vitiorum omnium fons & origo) quarto numero eſt aſſignatus, & decimo numero, vitium omne in generali eſt poſitum.

CAPVT XXXIII.

O Agne Dei immaculate, qui tollis peccata mundi, Domine IESV Chriſte: quia vis & ſicut potes, ſcis & vis, purifica, ſana, & pręſerua nos nunc & ſemper, & maximè in hora mortis noſtræ, ab omnibus vitiis capitalibus & eorum filiis & ſpeciebus.

1 PVRGA NOS, & præserua à *superbia*: quæ non tam est capitale vitium speciale, quàm capitalis omnium vitiorum origo & regina. Da igitur, vt nunquam inordinatè propriam excellentiam appetamus: nec nos extollamus suprà id quod per tuam regulam diuinam est præfixum, sed nec recusemus subiici tibi & tuis. Da vt bona quæ habe mus, non existimemus à nobis habere: vel nobis quasi naturaliter absque tua proui- dentia & benignitate aduenisse. Nec ea quæ à te recepisse nos cognoscimus: putemus nostris meritis debita. Nec murmuremus si ea nobis auferantur, aut si preces nostræ non exaudiuntur. Da insuper vt ex his quæ ha bemus, non appetamus singulariter videri, despectis cæteris, nec simus prompti ad con- siderandum, & ponderandum bona quæ ha- bemus, & proximorum defectus: negligen- tes autem in considerandis propriis defecti- bus, & aliorum bonis, nec suprà alios nos ex- tollamus, existimemus, & videri velimus. Denique da, vt nunquam cupiamus videri habere bonum, quod non habemus, aut ma- ius quam habemus; vt æstimemur & magni- ficemur ab aliis, sed scientes quæ data sunt nobis, in te solo gloriemur iuxta mensuram donationis tuæ.

2 PVRGA NOS & præserua ab *inani glo- ria*, & vana ac inordinata manifestatione propriæ excellentiæ, aut talis manifesta- tionis appetitu vel complacentia: da igitur vt nunquam appetamus nec gaudeamus lau- dari vel honorari pro re vana, caduca & fra-

 gili,

gili,& multò minus pro re vitiosa & vitupe-rio digna. Non quęramus gloriam ab hominibus, quorum iudicium est incertum: nisi propter te,& secundùm te: sed à te solo gloriam expectemus, qui nunquã das gloriam vanam & inanem, sed veram & certam, bonis operibus in præmium à te repromissam. Nunquam gloriam appetamus, vel laudem & honorem, nisi propter tuum honorem, vel salutem proximi, aut profectum spirituale. Non gloriemur in nobis, quasi à te non receperimus bona quæ habemus. Non præferamus tibi bona quæ habemus: plus in illis gloriantes & gaudentes, quàm in te. Non diligamus magis gloriam hominum, quàm eam quæ à te est. Non constituamus gloriam pro vltimo fine nostro: sic vt pro ea consequenda faciamus vel omittamus, aut parati simus facere vel omittere aliquid contra tua præcepta, contra charitatem & amorem tui & proximi. Caueamus etiam in his quæ non contrariantur charitati & præceptis, vanæ gloriæ appetitum & quæsitioné: ne per hoc reddamur præsumptuosi, & nimiũ in nobis confidentes: sicque bonis tuis paulatim priuemur,& ad mala inducamur. Da insuper vt vitemus sollicitè nouem filias inanis glorię, hoc est, vitia, quæ ex se solent referri in finé inanis gloriæ, quæ est manifestatio propriæ excellétiæ. Fac igitur vt fugiamus inprimis

1 IACTANTIAM, sic vt verbis nunquã nos extollamus.

2 FVGIAMVS *Ironiam*, sic vt nunquam dicamus vitia quæ in nobis non recognoscimus,

mus, eo fine vt dicamur humiles.

3 FVGIAMVS *Præsumptionem* nouitatum: Quas ſolent magis mirari homines.

4 FVGIAMVS *Simulationem*, in temporalibus.

5 ET *Hypocriſim* in ſpiritualibus, nunquã per falſa facta temporalia aut ſpiritualia quærentes videri aut laudari.

6 FVGIAMVS *Pertinaciam*, ſic vt nunquã nimis innitamur ſentẽtiæ noſtræ, nolẽtes acquieſcere ſaniori, ne inferiores iudicemur.

7 FVGIAMVS *Diſcordiam*, ſic vt nunquam propriæ voluntati tenacius inhærentes, ab aliis diſcordemus.

8 FVGIAMVS *Contentionem*, ſic vt nunquã moroſè contra alium verbis litigemus, vt ſuperiores videamur.

9 FVGIAMVS *Inobedientiam*, ſic vt nunquam recuſemus parere tuis & Superiorum præceptis & mandatis.

3 PVRGA NOS & præſerua *à vitio iræ*: ſic vt nunquam appetamus vel procuremus vindictam propter malum eius qui puniendus eſt: nec deſideremus aut quæramus eum puniri, qui non meretur: aut vltra quam meruit, & eos qui merentur puniri, nõ aliter puniri deſideremus, quàm ſecundùm ordinem iuris & finem, qui eſt conſeruatio iuſtitiæ & correctio culpæ. Caueamus etiam dum iuſtè & ex zelo tui honoris & iuſtitiæ iraſcimur, & vindictã cupimus aut capimus, ne excedamus in modo, nimis ardẽter iraſcẽdo, & inordinatè nos habendo. Fac inſuper vt ſollicitè vitemus filias iræ: ſcilicet,

1 INDIGNATIONEM côtra eum quẽ reputamus indignũ, qui nobis hoc vel illud fecerit.

2 TIMOREM mentis, quo cogitare ſolemus diuerſas vias vindictæ.

3 CLAMOREM, ſeu altam, inordinatã & confuſam loquutionem aduerſus eum qui nos offendit, oſtendentem noſtram indignationem, aut eius contemptum.

4 BLASPHEMIAM, ſeu iniurioſam contra te, vel ſanctos tuos loquutionem ex ira procedentem.

5 CONTVMELIAM, culpam exprimentem: vel conuitium, malum pœnæ exprobrans, aut improperium egeſtatis & indigentiæ.

6 RIXAS, per quas intelliguntur omnia nocumenta quæ facto per iram proximis inferimus, qualia ſunt detractio, homicidiũ, mutilatio, & ſimilia.

4 PVRGA NOS & præſerua ab amore noſtri priuato, ſeu proprio & inordinato: ſic vt non amemus nec quæramus ea quæ noſtræ ſenſualitati & propriæ voluntati grata ſunt & delectabilia, niſi propter te, & ſecundùm te; hoc eſt, niſi quia & quatenus tu vis ea nos aſſumere ad noſtram neceſſariam vel vtilem in tuo ſeruitio confortationem. Nec odio habeamus, horreamus vel fugiamus ea quæ noſtræ voluntati ſunt aſpera & ingrata, niſi fuerint ſpirituali profectui cõtraria aut nociua. Quin potiùs hæc amemus, deſideremus, quæramus, diſcretè ſumamus, & cũ gaudio tolleremus: illa verò dulcia & delectabi-

lia

lia odio habeamus, refugiamus, recusemus, & cum dolore suscipiamus.

5 PVRGA nos & præserua à vitio inuidiæ, sic vt nunquam de bono proximi eatenùs tristemur, quatenùs nostræ gloriæ vel excellētiæ illud esse diminutiuum putamus. Nec similiter de proximi malo eatenus vnquam exultemus, quatenus hoc cedit ad nostram exaltationem. Non inuideamus superioribus & excellentioribus, dolentes quod nos præcedant: non inuideamus æqualibus dolentes quod ipsi nos excellant. Non inuideamus inferiorum profectui, nolentes eos nobis æquari. Sed potiùs omnium proximorum malis, tanquam propriis condoleamus, & succurrere efficaciter desideremus, bonis verò eorum, tanquam nostris, congaudeamus, & pro eis gratias agamus, nisi fortè talia bona talibus eueniant, quæ vel illorum saluti, vel proximorum profectui, aut communi vtilitati noceant. De talibus enim zelo iustitiæ & charitatis tristari possumus, & gaudere de malis proximorum, quæ vel illis, vel piis, aut Reipubl. sunt salutaria & vtilia. Gaudere etiam de ruina inimici, non quatenus illi nocet, sed quatenus nos vel pios homines eripit ab eius infestatione, & tristari de eius bono, quatenus cedit ad nostram, vel piorum hominum oppressionem & impedimentum, possumus absque inuidia & peccato.

Da insuper vt vitemus quinque filias inuidię, odium, susurrationem, detractionem, exultationem in rebus aduersis proximi, &

tristitiam in rebus prosperis eius. Nunquam igitur sic odio habeamus personã cuiuscunque etiam inimici nos actu persequentis, vt diliberata voluntate auertamur ab eius dilectione, & amore, vel ei optemus aut procuremus malum aliquod disconueniens & nociuum bono naturæ eius, aut gratiæ: vel denegemus ei bonum facere quod tenemur: vel subtrahamus ab eo signa communia charitatis, quæ omnibus communiter debentur: vel obsequia, colloquia & similia quæ ei exhibere tenemur: sicut est occurrentem salutare, faciem ab eo non auertere: interroganti quod responsum meretur, respondere, à communi oratione vel largitione quæ omnibus aut pro omnibus fit ipsum non velle excludere, & similia. Non simus susurrones, bilingues, vel discordiam seminantes inter fratres, quod est detestabile: nihil dicamus alicui quod eum possit auertere ab amicitia alterius proximi, nisi vbi non in bono, nec ad bonum, sed in malo & ad malum esset talis amicitia, tunc enim fructuosè & meritoriè dissolueretur ad hoc vt malum impediretur. Similiter etiam quælibet vitiosa, & periculosa amicitia est dissoluenda.

FVGIAMVS detractionem: sic vt nunquam denigremus, corrumpamus aut diminuamus bonam famam seu reputationem & æstimationem proximi, occultè & ipso ignorante: intentione ipsum diffamandi.

Non imponamus ei falsum.

Non reuelemus eius peccatũ occultum, omissa correctione fraterna, nisi vbi verge-

ret

ret in publicam perniciem.

Non augeamus vel exaggeremus verbis nostris eius peccatum.

Non dicamus id quod bonũ ex se est, ab eo mala intentione fuisse factum.

Non negemus eius bonũ, nec malitiosè illud reticeamus aut diminuamus.

Non audiamus libenter detrahentẽ proximo, nec omittamus eum reprehendere, si honestè & vtiliter id possumus facere, saltem ostendamus vultum tristem detrahenti: aut aliter significemus ei non placere quod detrahit.

¶ Nota, quod dicere aliqua verba, per quæ fama alterius diminuitur, propter bonum vel necessariam causam, debitis circumstantijs obseruatis, non est detractio nec peccatum: formale enim detractionis est, intentio denigrandi famam. Similiter reuelare peccatum occultum proximi, ei qui vult & potest aut debet prodesse ad eius emendationem & correctionem, nõ est peccatum, seruato ordine correctionis fraternæ. Qui etiam ex animi leuitate, vel propter causam non necessariam malum ab altero dicit, non ex intentione eum diffamandi, non peccat mortaliter, nisi notabiliter lædat famam proximi.

6 PVRGA NOS & præserua à peccato acediæ, à tristitia aggrauante & deprimente, sic animũ vt nihil boni ei agere libeat: à tædio boni: à torpore mentis bona inchoare negligentis, & bonum spirituale eatenus refugientis, quatenus est laboriosum aut molestũ corpori, vel delectationis impeditiuũ. Specialiter autem præserua nos ab Acedia,

quæ eſt gaudio ſpirituali charitatis oppoſi-ta, hoc eſt à triſtitia circa ea quę pro tuo ho-nore & ex præcepto tuo nobis incumbunt, agenda: ſic vt nunquam ea propter horrorē & tædium illorum, agere omittamus, aut proponamus omittere, ſed nec triſtemur ea feciſſe. Quod ſi in huiuſmodi bonis agendis triſtitiam à ſenſualitate noſtra & carne non poſſumus repellere: ſaltem caueamus ne ra-tio deliberatè ei conſentiat, ſic vt cum men-tis triſtitia & tædio, quaſi inuiti & perfun-ctoriè ea quæ à te vel tuis nobis ſunt iuſſa, perficiamus. Tu enim hilarem datorem di-ligis, & in lætitia ſpirituali vis vt tibi ſer-uiamus.

PVRGA NOS etiam & præſerua à filia-bus acediæ, videlicet à malitia, rancore, pu-ſillanimitate, deſperatione, torpore circa præcepta, & euagatione mentis. Da ergo vt fugiamus malitiam, quæ eſt contemptus bo-norum diuinorum, & affectus amoris erga mala diuinis bonis contraria.

Fugiamus rancorem, hoc eſt, amaritudi-nem & diſplicentiam erga eos, qui nos indu-cunt & excitant ad bona ſpiritualia nobis moleſta, inchoanda & perficienda.

Fugiamus puſillanimitatem, ſic vt nun-quam timore deficiendi ſubtrahamus nos ab inchoandis illis bonis quæ propter te facere poſſumus & debemus.

Fugiamus deſperationem & diffidētiam de aſſequēda beatitudine propter defectum gratiæ & meritorum propriorum. Nunquā æſtimemus nos damnandos, quantumuis

ſentiamus nos gratia tua & meritis proprijs deſtitutos, atque ad vitia procliues: ſed credentes te eſſe miſericordiſſimum & liberaliſſimum atque paratiſſimum nobis gratiam tuam & miſericordiam conferre ſi ad te conuerti voluerimus: non differamus ad te conuerti, nec propter triſtitiam & tædium bonorum ſpiritualium ab eis inchoandis retardemur, aut impediamur.

Fugiamus negligentiam, pigritiam & torpórem, in his quæ ex præcepto nobis ſunt agenda, ſic vt nunquam debitam ſollicitudinē & diligentiam circa agenda adhibere negligamus, nunquā ad ea inchoanda & exequenda tardi & pigri ſimus: nunquam in ipſorum exequutione torpentes, & remiſſi inueniamur: nunquam otioſi à bonis: nunquam ſomnolenti in diuinis aut debitis ſimus.

Fugiamus euagationem mentis, in his pręſertim quibus tenemur attenti eſſe, vt in diuino officio tuo. Sic vt nunquam ſcienter & ex propoſito vel negligentia & torpore ibi euagemur, & ad extranea diſtrahamur.

Fugiamus etiam inquietudinem corporis: inſtabilitatem in verbis, & curioſitatem omnem quæ deuotionem aut extinguit aut impedit.

7 PVRGA & præſerua nos à vitio auaritiæ, hoc eſt ab inordinata voluntate acquirendi, vel retinendi alienum inuito domino, & ab inordinato appetitu & retentione pecuniæ & aliorum temporalium quę pecunia æſtimari poſſunt, vltra neceſſitatem & congruam decentiam. Nunquam igitur de-

ſideremus alienum, nunquam conſentiamus aliquid iniuſtè acquirere, aut iniuſto titulo retinere: Nunquam deſideremus ſuperflua noſtro ſtatui & conditioni accumulare, vel retinere, nec pro talibus acquirendis laboremus. Sed nec rebus acquiſitis & poſſeſſis tenacius inhęreamus, non audentes eas in pios & conuenientes vſus impendere: ne tam deſit nobis quod habemus quàm quod non habemus.

Vitemus omnem proditionem, fraudem, periurium, fallaciam in vendendo aliquid, vel emendo.

Non ſimus duri, tenaces & immiſericordes erga pauperes & egenos.

Non ſimus inquieti & ſolliciti nimia auiditate acquirendi & poſſidendi bona: fugiamus omne furtum, rapinam, vſuram, Symoniam, & omnem iniuſtam acquiſitionem.

Nunquam igitur furemur quicquam, hoc eſt, rem alienam, principali domino rationabiliter inuito, nunquam occultè accipiamus vel retineamus.

Nunquam rem alienam iniuſtè & violenter rapiamus.

Nunqnam vſuram committamus recipientes ex mutuo vero vel interpretatiuo, & propter mutuum, aliquod lucrũ ſeu crementum pecunia æſtimabile, interueniente pactione explicita vel implicita.

Nunquam etiam abſque pactione ſperemus ex mutuo lucrum, nec ſpe lucri mutuum demus, nec aliquid ab eo, cui mutuum damus recipiamus, vltra ſortem: niſi apertè intelle-

xerimus eum ex mera liberalitate & gra-
titudine hoc dare, & non propter mutuum
quasi inuitus.

Fugiamus symoniam tam mẽtalem quàm
exteriorem: sic vt nec volũtate nec actu ipso
emamus, vendamus, permutemus, aut aliter
alienemus aliquid spirituale, pretio pecu-
niario, vel pecunia æstimabili, qualia sunt
munera à lingua, à manu, vel ab obsequio
temporali.

8 PVRGA, & præserua nos bone IESV à
gulæ vitio, hoc est, inordinato appetitu & v-
su cibi & potus propter delectationem inor-
dinatam. Sic vt nunquã appetamus, vel quæ-
ramus cibos nimis lautos & exquisitos: vel
nimis accuratè & curiosè præparatos: nec
præueniamus debitum & competens tempus
comedendi sine rationabili causa.

Nec nimis auidè & festinanter absque de-
bita masticatione cibum sumamus.

Nec vltra quantitatem nostræ necessitati
& sanitati atq; conditioni congruam come-
damus vel bibamus: sic vt nunquam crapula
cor nostrum aggrauetur aut inquinetur.

Fugiamus etiam commessationes crebras,
& superfluas aut prolixiores & omnẽ ebrie-
tatem, hoc est inordinatum appetitum & v-
sum vini vel alterius potus, ex quo sequitur
ligamen rationis.

Vitemus etiam filias gulæ, seu vitia ex
immoderato cibo & potu prouenientia, sci-
licet,

Hebetudinem mentis qua acies & intelli-
gentia rationis obtunditur & obfuscatur.

Ineptam

Ineptam lætitiam, in quam voluntas, ſopito rationis gubernaculo facilè diſſoluitur.

Multiloquium, inter epulas frequens & conſuetum.

Scurrilitatem & iocularitatem, quæ riſum mouere ſolet.

Immunditiam, & inordinatam quarumcunque immunditiarum emiſſionem ex ſuperfluo cibo vel potu prouenientem.

Somnolentiam, & torporem ad bona ſpiritualia vel debita.

9 PVRGA & præſerua nos (ô IESV caſtiſſime) à luxuriæ vitio, hoc eſt ab omni copula carnali illicita, eiusque concupiſcentia, aut moroſa delectatione in ea, ab omnibus cogitationibus, affectionibus, verbis, tactibus, oſculis & amplexibus impudicis & inhoneſtis. Ab omni familiaritate inordinata & ſenſuali cauſante pruritum & libidinem. Ab omni deniq; quod puritatem mentis vel corporis inquinat & polluit.

Purga nos etiam à filiabus luxuriæ, videlicet,

1 A COECITATE mentis impediente intelligentiam & conſiderationem, atque apprehenſioné finis boni, propter vehementiam delectationis & paſſionis appetitus luxuriæ concupiſcentia inflammati.

2 A PRAECIPITATIONE, impediente conſilium de his quæ propter finem bonum ſunt agenda.

3 AB INCONSIDERATIONE diuinorum iudiciorum & futurorum.

4 AB INCONSTANTIA & derelictione boni operis inchoati: propter cōcupiscentiæ impetum.

5 AB AMORE propriæ delectationis.

6 AB ODIO DEI prohibentis & punientis delectationem concupitam.

7 AB AFFECTV præsentis seculi, propter fruitionem delectationis lubricæ.

8 AB HORRORE & desperatione futuri seculi, ex nimia adhæsione & affectione præsentium delectationum proueniente.

EXPLICATIO DECADIS pœnarum infernalium.

CAP. XXXIIII.

O IESV Redemptor, & Saluator noster: tuarum passionum & tristitiarum, quas tu innocens, pro nobis peccatoribus voluntariè pertulisti, merito infinito: Redime & præserua nos ab infernalibus vitijs, & æternis pœnis, quas pro peccatis nostris nos iustè meruisse cognoscimus & confitemur. Atque imprimis.

1 REDIME NOS, tuæ humilitatis, tuorumq́ue opprobriorum merito, & præserua: ab æterna superbia, & appetitu propriæ excellētiæ & honoris, coniuncta perpetuis opprobrijs, confusionibus, & dæmonum insultationibus.

2 REDIME nos tuæ voluntariæ paupertatis, tuarumque penuriarum merito & præserua: ab æterna insatiabili cupiditate, coniuncta perpetuæ, & omnimodæ indigentiæ, penuriæ, & omnium delectabilium carentiæ.

3 REDIME nos tuæ patientiæ & mansuetudinis, tuarumque pœnalitatum, austeritatum, & laborum merito, & præserua, à perpetuis pœnis, laboribus & afflictionibus: coniunctis æternæ impatientiæ, iræ, furori & maledictioni.

4 REDIME nos tuæ diuinæ charitatis & obedientiæ, tuæque subiectionis & seruitutis voluntariæ merito, ab æterna propriæ voluntatis, priuatique amoris inquietudine, à miserrima & inuoluntaria prorsus dæmonum seruitute & subiectione perpetua, ab odio implacabili & rancore.

5 REDIME nos tui luctus & compassionis, tuarumque tristitiarum & orationum merito, & preserua, ab æterna inuidia, tristitia, fletu, desolatione omnimoda & desperatione.

6 REDIME nos tuæ esuriei & sitis iustitiæ, tuæque strenuitatis, & tuorum cruciatuũ ac vulnerum merito, & præserua, ab æterna esurie, fame, & siti intolerabili, ab acedia, torpore, frigore nimio & ponderositate, à flagellis, cruciatibus & tormentis innumeris & incomprehensibilibus.

7 REDIME nos tuæ misericordiæ & iustitiæ, tuarumque miseriarum & miserationum, sanguinisq; effusionum merito, & præ-

ſerua nos, ab æterna immiſericordia & iniuſtitia, à perpetua miſeria, paſſibilitate. Igne gehennæ intolerabili & inextinguibili, continua blaſphemia, & maledictione, ac murmuratione.

8 REDIME nos tuæ temperantiæ & ſenſuum continentiæ atque afflictionis, coronationisq; ſpineæ merito, & præſerua, ab æterna intemperantia, & gulæ ſenſuumque oblectationis concupiſcentia: à perpetua guſtus & cæterorum ſenſuum afflictione: à carentia viſionis diuinæ: ab aſpectu & auditu dæmonum, tenebriſque interioribus & exterioribus.

9 REDIME nos tuæ caſtitatis, prudentiæ & pacificationis, tuorumque vinculorum & clauorum merito, & præſerua, ab æterno luxuriæ & immundæ delectationis appetitu, à perpetua confuſione, dolore & vario cruciatu: & ab æterna inſipientia, diſcordia, & miſerabili captiuitate, carcere infernali teterrimo, & fœtore ac ſulphure intolerabili, dæmonumque & damnatorum ſocietate miſerabili.

10 REDIME nos tuæ crucis & mortis, tuæque voluntariæ tolerantiæ ac finalis perſeuerantiæ & obedientiæ conſummatæ merito: & præſerua ab æterna morte & priuatione beatificæ tuæ fruitionis: à ſpiritu procellarum, à verme conſcientiæ nunquam moriturо: a tormentis infinitis, intolerabilibus, & nũquàm finitaris, nec releuamen aliquod ſuſcepturis.

EXPLI-

EXPLICATIO DECADIS præmiorum gloriæ æternæ, quæ ſicut & pœnæ infernales præfatæ, hic ponuntur, prout beatitudinibus viæ magis conueniunt

CAP. XXXV.

O Glorificator noſter & præmiorum retributor magnificentiſſime IESV Chriſte: tuarum virtutum & ſanctarum exercitationum merito: perduc nos ad æternæ gloriæ præmia. Atque imprimis.

1 TVAE HVMILITATIS, & voluntariæ humiliationis merito & imitatione: perduc nos ad æternam exaltationem, honorem filiorum Dei, & gloriam immarceſſibilem.

2 TVAE PAVPERTATIS merito & imitatione: perduc nos ad æternam regni cœleſtis opulentiam, & ſuperabundantiam.

3 TVAE MANSVETVDINIS merito & imitatione: perduc nos ad quietam & ſecuram terræ viuentium poſſeſſionem; internæ & externæ pacis multitudinem & requiem ſecuram.

4 TVAE OBEDIENTIAE & charitatis merito & imitatione: perduc nos ad æter-

æternum & plenum dominium & libertatem: dilectionis & amoris plenitudinem & suauitatem: conscientiæ serenitatem & pacem: volũtatis & spiritus tecum vnionem & conformitatem: ac perfectam cum beatis omnibus amicitiam & familiaritatem.

5 TVI LVCTVS & compassionis, tuarumq; orationum merito & imitatione: perduc nos ad æternam lætiam, risum, iubilum & gaudium plenum. Ad cõgratulationem & desideriorum omnium plenissimam impletionem, & voluptatis torrentem.

6 TVAE ESVRIEI IVSTITIAE, & cõstãtissimæ fortitudinis imitatione & merito: perduc nos ad æternam satietatem, inebriationem spiritualem, subtilitatem, agilitatem, sanitatẽ & suauitatem perfectam, multiplicemq; triumphum.

7 TVAE MISERICORDIAE & iustitiæ merito & imitatione: perduc nos ad æternæ misericordiæ consequutionem, impassibilitatem & omnis miseriæ immunitatem, mensuramque bonorum supereffluentem, & ad iugem laudem & gratiarum actionem: securamque tuæ diuinitatis tentionem & adorationem.

8 TVAE SOBRIETATIS, temperantiæ & munditiæ cordis merito & imitatione: perduc nos ad æternam refectionem super mensam tuam in regno tuo. Ad sensuum omnium glorificationem: claram tuæ diuinitatis & humanitatis visionẽ, & claritatem perpetuam.

9 TVAE CASTITATIS & pacis ac

pacificationis merito & imitatione: perduc nos ad incorruptionem & immortalitatem perpetuam: pacem securam, omnem sensum superantem: ad filiorum Dei nomen & hæreditatem: tuæque diuinitatis beatificam fruitionem. Ad communionem sanctorum, & societatem iucundissimam, ac fœlicissimam.

10 TVAE TOLERANTIAE & perseuerantiæ merito & imitatione: perduc nos ad te fontem vitæ æternæ, ad interminabilé beatitudinem: bonorumque omnium cumulum perfectissimum.

Vbi cum Beatissima Maria, Beatis Angelis & Sanctis omnibus te, cum Patre & Spiritu sancto trinum in personis & vnum in essentia Deum ac Dominum vniuersorum, in æternum.

1 SECVRE teneamus & possideamus.

2 STABILITER & inaduertabiliter cogitemus & præsentem sentiamus.

3 ADOREMVS & reuereamur, tibique plenè subijciamur.

4 TE PVRA, simplici & libera intelligentia per teipsum cognoscamus: facie ad faciem videamus, & contemplemur.

5 TE CONTINVE laudemus & glorificemus.

6 TE ADMIREMVR, & in te suspensi, intelligendo sine intellectu efficiamur.

7 VBI DENIQVE afficiamur tui amore castissimo.

8 SVCCENDAMVR tui desiderio ęstuantissimo.

9 REPLEAMVR TVO immmenso & pleno gaudio.

10 SATVREMVR tuæ diuinitatis fruitione.

11 POTEMVR torrente voluptatis tuæ. *Et inebriemur* ab vbertate domus tuæ.

1 VBI IN TE toti absorbeamur, & à propria actione cessemus & deficiamus.

2 IN TE transformemur, sicut ferrum ignitum in ignem transformatur, eiusque actionem & vim vrendi recipit.

3 VNVSQVE spiritus tecum efficiamur: per voluntatis & actionis conformationem & vnionem.

4 SICQVE in hac tuæ superessentiali & Deifica vnitate, in pace in idipsum dormiamus & requiescamus.

5 VT TV gaudium & pacem in nobis habeas.

6 TVVMQVE præclarissimũ opus in nobis perficias.

7 ET NOS modo supereminentissimo tibi seruiamus.

8 ET GRATISSIMVM præstemus obsequium.

9 AD TVAM æternam gloriam & laudem.

10 NOSTRAMQVE & omnium salutem. Amen.

EXPLICATIO TERNAriorum superſanctiſſimæ Trinitatis, cum aſpirationibus & petitionibus ſingulis conuenientibus.

CAP. XXXVI.

ADMONITIO PRO VSV SEQVENtium Ternariorum superſanctiſsimæ Trinitatis.

ETSI ſequentia Ternaria ad altiſſimam ſuperbeatiſsimæ Trinitatis contemplationem (quæ perfectioribus magis conuenit) pertineant: poſſunt tamen etiam ab inchoantibus, & minus perfectis, ſimpliciter & abſque curioſiori perſcrutatione recogitari, tam ſub verſu (GLORIA PATRI) *quoties in diuino officio canitur: quàm extra diuinum officium per deuotam ſalutationem aut adorationem. Ex horum enim frequenti & deuota recogitatione acquiritur clarior ſuperſanctiſsimæ Trinitatis notitia & amor: in cuius clara viſione et fruitione beatifica; conſiſtit noſtra beatitudo: & modica eiuſdem Trinitatis notitia, excellit omnium creaturarum notitiam. Sed cauendum eſt in horum ternariorum conſideratione à curioſa perſcrutatione: quod fiet, ſi quæ hic proponuntur, ſimplici ac firma fide credantur, & humiliter ac deuotè conſiderentur. Sic enim per fidem perueniri poterit ad eorum puram intelligentiam per do-*

num intellectus, & ad saporem angustum per donum sapientiæ: atque tandem post hanc vitam ad eorum beatificam contemplationem & fruitionem.

Vt autem deuotiùs afficiaris erga sequentia ternaria, & imiteris actus & exercitia Beatorum (qui iugiter Deum vnitrinum adorant & reuerentur: contemplantur, & glorificant: amant & ei congratulantur: Seq́ue totos in eius obsequium offerunt) poteris, quando voles, cuiuslibet ternarij primo nomini præmittere hoc verbum (Amans adoro, & reuereor te, *ô talis*) *& secūdo nomini præmittere hoc verbum* (Amans contemplor, & glorifico te, *ô talis*) *tertio autem* (Amans congratuler tibi, *ô talis*) *& in fine cuiuslibet Ternarij subiungere* (Amans & gratias agens me totum in gratissimum & perpetuum obsequium tibi ex amore offero, *ô vnitrine Deus, obsecrans te, vt me tuo amore purges, illumines, inflammes, perficias, & in te transmutes ad tuam gloriam, meamq́ue, & omnium salutem. Amen.*

Aut, sic breuiùs hæc ternaria ruminabis: præmittendo singulis hoc verbum salutationis & congratulationis (Aue) sic dicendo, Aue Pater, Aue Fili, Aue Spiritu sancte) & singulis suam interpretationem & obsecrationem subiungendo. Vel loco illius salutationis semper repetes, Amans tibi congratulor, ô Pater, ô Fili, ô Spiritus sancte. Hæc enim salutatio dulciùs afficit & auget amorem.

Primum Ternarium.

O PATER INGENITE, Qui à te solo existens, ab æterno teipsum, & omnia vnico intelligendi actu perfectissimè agnoscendo: vnicum & perfectissimum verbum, tanquam mentis tuæ conceptum & filium, intus protulisti, & de tua substantia genuisti: tibi consubstantiale, coæternum, & per omnia coæquale: Eya genera in mente nostra verbum, & conceptum de te verum & clarum, vt te iugiter cogitemus & reuereamur.

2 O FILI VNIGENITE, Qui ab æterno à Patre seipsum agnoscente, genitus: ipsum perfectè repræsentas: clarissimè intueris, & eius notitiam nobis infundis: Eya per te Patrem clarè agnoscamus & glorificemus.

3 O SPIRITVS SANCTE DEVS, Qui à Patre & Filio se inuicem perfectissimè diligentibus, ab æterno spiraris & procedis: vtriusque amor coæternus, cõsubstantialis, coæqualis, condilectus, & condiligẽs: atque charitatem DEI in cordibus nostris diffundens: Eya per te & tecum, Patrem & Filium vera charitate semper amemus: teque cum illis eodẽ amore complectamur & tua beatitudine fruamur.

Secundum Ternarium.

4 O ARTIFEX & opifex omniũ Deus: Qui ab æterno omnia creanda præuidisti: &

singu-

singulorum motū, speciem & ordinem ar-
tificiosè prædisposuisti: constitutáque tem-
pore quando tibi placuit, omnia in mensu-
ra, pōdere & numero fecisti. Eya te omnium
artificem in omnibus, & super omnia reue-
reamur & timeamus.

5 O IDEA omnia perfectissimè repræ-
sentans, in qua Deus pater ab æterno om-
nia vidit & contemplatus est: *Ars & ratio*,
secundùm quam omnia prudenter facere di
sposuit: *Exemplar*, iuxta quod omnia in tem-
pore creauit. Eya fac in te omnia videamus:
tuam artem & prudentiam in omnibus lau-
demus, & iuxta tuum exemplar omnia aga-
mus.

6 O AMOR, *Complacentia & bonitas*, summi
opificis. *Amor*, inquam, quo ab æterno omnia
creanda amauit: *Complacentia*, qua in eorū con-
templatione sibi benè cōplacuit: *Bonitas*, qua
se illis in tempore communicauit: Eya fac vt
te in omnibus, & omnia propter te amemus:
tibi perfectè placeamus: & tuę bonitatis par
ticipes efficiamur.

Tertium Ternarium.

7 O PATER, ex quo omnia fontaliter
promanant, & à quo facta sunt, & potenter
conseruantur omnia: Eya fac vt te semper &
vbique reuereamur: & à te ad omnia tibi pla-
cita moueamur & confortemur.

8 O FILI, *per quem omnia* exemplari-
ter sunt facta, & prudenter disposita: sapien
terque gubernantur. Eya per te, & secundùm

te in omnibus diligamur iuxta ſupremum tuum beneplacitum.

9 O SPIRITVS SANCTE, qui es amor *propter quem omnia* facta ſunt, & in quo omnia cõſeruantur, & ad quem finaliter omnia referũtur. Eya propter te omnia inchoemus: in te omnia proſequamur, & ad tuum honorem omnia referamus.

Quartum Ternarium.

1 O SOL iuſtitiæ, qui in te, & ex te ſemper ſplendens, & iuſtitia refulgens, tenebras culpæ & ignorantiæ à cordibus noſtris expellis, ſicque nos iuſtificas. Eya nobis illabere, & omnes tenebras à nobis procul repelle.

2 O SPLENDOR ſolis iuſtitiæ, Qui ipſum iuſtitiæ ſolem tuum Patrem, perfectè repræſentas: clariſſimè intueris, & nobis oſtendis: Eya in te & per te ſolem iuſtitiæ contemplemur & glorificemus: & quid ei ſit acceptum intelligamus.

3 O CALOR ſolis iuſtitiæ, ardens, & inflammans diuino amore electos, eoſque viuificans, & opera bona germinare faciens: Eya vre renes noſtros, cordaque noſtra ſuccende, viuifica, & bonis affectibus ac operibus fœcunda.

Quintum Ternarium.

O MAIESTAS diuina omnia perfectè *intuens*, & tibi ad nutum ſubiecta contemplans: Eya fac vt in tuo conſpectu caſtè

& timoratè semper ambulemus, & voluntariè, ex amore tibi subiiciamur & obtemperemus.

5 O SPECVLVM sine macula diuinæ maiestatis, ipsam lucidissimè repræsentans, intuens, & nobis reuelans: Eya in te & per te diuinam maiestatem contemplemur, glorificemus & admiremur.

6 O GAVDIVM plenum diuinæ maiestatis, Quo ipsa seipsam in suo speculo contemplans, infinito gaudio & iubilo exultat: Eya fac vt in contemplatione diuinæ maiestatis cum tremore exultemus, & sobria ebrietate iubilemus.

Sextum Ternarium.

7 O MENSVRA mensurans omnia Deus, Qui in te immensus, omnibus das certã & sibi conuenientem mensuram & quantitatem: Eya fac vt sine mensura te diligentes, à te gratiarum & virtutum mensuram bonã, quãtàm volueris accipiamus, & omnia cum debita mensura faciamus.

8 O NVMERVS omnia numerans Deus, cuius sapientiæ cum nullus sit numerus, omnia tamen sapienter numeras, distinguis & disponis: Eya per tuam sapientiam in omnibus nos prudenter dirige, sicut vis, & maior honor tuus fuerit.

9 O PONDVS omnia ponderans Deus, Qui pondus omne excedens, omnibus & singulis creaturis das pondus & naturalem inclinationem ad suum finem & perfectio-

nem tendentem: Eya fac vt ad te solum super omnia tendamus, & inclinemur, tãquam ad finem & perfectionem nostram vltimam, omnibusque propter te duntaxat, & secundũ te vtentes, te solo fruamur & in te quiescamus.

Septimum Ternarium.

1 O PATER omnia potenter operans, & in electis tuis liberè, absque contradictione, mirabiliter, supra cursum & vsum naturæ, ac vtiliter ad eorum & omnium communem salutem, opera tua perficiens: Eya vtinam, simus semper tibi morigera instrumenta, in quibus absque impedimento opereris. Vtinam in via mirabili electorum tuorum nos deducas, & omnia quæcunq; fecerimus, prosperari facias.

2 O DEXTERA Dei Patris, electos tuos benedicens, & in omni gratia multiplicans, eosque in omni bono dirigens & adiuuans ac iustificans: Eya nos quoque digneris nunc & semper & benedicere, dirigere & iustificare.

3 O DEXTRAE Dei digitus Spiritus sancte, in quo eiiciuntur dæmonia, quo lex Dei in tabulis cordis electorum scribitur, & miracula ad fidelium salutem perficiuntur: Eya eiice de cordibus nostris omnia vitia, & dæmonum susurria, scribe in illis legem diuini amoris, & mira in nobis operare virtutum exercitia ad tuum honorem & omnium salutem.

Octauum Ternarium.

4 O PATER Filium diligens, osculans
& vngens, Qui ab æterno vnice Filium tuum
diligens, ipsum oscularis, omnem substantiã
tuam plenissimè ei communicando, eundem
que hominem factum, oleo gratiæ tuæ præ
consortibus suis vnxisti, donans ei spiritum,
non ad mensuram, sed cum omni plenitudi-
ne: Eya in eodem filio tuo nos dilige, accepta
& vnge.

5 O FILI dilecte, osculate & vncte Dei
Patris, ex cuius ore osculum suscepisti: in te
tanquam in prædilecto Filio Pater sibi sem-
per bene complacuit: tu ore ad os Patrem os-
cularis, eidem prorsus coæqualis & consub-
stantialis existens: tu etiam es Christus & vn-
ctus Dei Patris vnicus: Eya te Dei Patris Filiũ
prædilectũ & coæqualem semper credamus
& glorificemus, tuæque vnctionis & gratiæ
ac lætitiæ participes efficiamur.

6 O DILECTIO, osculum & vnctio pa-
tris erga filium, Spiritus sancte Deus, tu es a-
mor ex mutua Patris & Filij dilectione pro-
cedens: tu osculum ex amorosa communica-
tione substantiæ Patris Filio facta proueniẽs
& vnctio à qua omnis gratia in Christum &
eius fideles fluit: Eya per te patrem & filium
diligamus: te vtriusque Spiritum consubstan
tialem, coæqualem simul adoremus: tuaque
vnctione, omni gratia & charitate perfecta
repleamur.

Nonum Ternarium.

7 O PATER, *protegens* electos tuos potenter ab hostium violētiis & tentationibus, à peccatis, & periculis: Eya nos orphanos & infirmos protege ab omnibus hostibus, peccatis, & periculis.

8 O BRACHIVM Dei patris, electos à captiuitate diaboli, & à peccati seruitute: ac pœnis redimens, eosque in pugna contra hostes dirigens & confortans, tandemque saluans, & ab omni malo securos reddens: Eya sic nos redime, dirige, conforta & salua, vt in æternum salui & liberi: te cum omnibus electis tuis glorificemus.

9 O VIRTVS altissimi Spiritus sancte Deus, electos obumbrans & ab ęstu tentationum & tribulationum refrigerans, eosque à vanitate & conturbatione hominum abscondens, & in bonis operibus ac studiis fouens & confortans: Eya sic semper & vbique nos obumbra, refrigera, absconde, foue & conforta, vt gratum tibi obsequiū ex amore præstemus.

Decimum Ternarium.

10 O MENS fœcundissima Deus Pater, ab æterno teipsum intelligendo, verbum tibi consubstantiale & æquale generans: Eya fœcunda nostram mentem & memoriā sanctis & tibi placitis cogitationibus, eamque in tui præsentia stabili & confirma.

11 O VERBVM æternum paternæ mentis: cor paternum & eius notitiam ac amorem perfectè repreſentans, contemplans, & nobis manifeſtans: Eya per te & in te patris æterni nomen, & charitatem erga nos perpetuam, viua fide credamus, & cum laude contemplemur.

12 O AMOR æternæ Patris & Filij, ex vtriuſque mutua dilectione ab ęterno procedens, condilectus, condiligens, & diuinā dilectionem cordibus noſtris infundens: Eya te cum patre & Filio vnitrinum Deum in omnibus & ſuper omnia amemus, deſideremus, quæramus, & inuentum toto corde complectamur ac fruitiuè poſſideamus.

EXPLICATIO DECADIS ſecundæ Ternariorum ſuperſanctiſſ. Trinitatis.

CAPVT XXXVII.

Primum Ternarium.

1 O ESSENTIA prima nullum habens principium, ſola per te ſubſiſtens: & omnibus dans eſſe ac conſeruans: Eya fac vt te ſemper cogitemus, & reuereamur, tibi adhæreamus, & in eſſe tibi placito per te conſeruemur.

2 O NATVRA naturans, omnium na-

turarum creatrix & conſeruatrix, & ſingulis creaturis dans principium motus & quietis ſibi conuenientis: Eya fac vt in omnibus à te & ſecundum te moueamur, & in te ſolo quieſcamus.

3 O VITA beata omnibus viuentibus vitam donans & conſeruans, in te vitam ex omni parte beatam habens, & electos tuos beatificans: Eya tuo amore nos viuifica, & ad omnia tibi placita perficienda efficaciter nos excita: tandemque cum electis tuis beatifica.

Secundum Ternarium.

4 O MENS inuariabilis, Quæ vnico intelligendi actu, omnia ab æterno cognouiſti & cognoſcis, nullam prorſus mutationem aut viciſſitudinis obumbrationē in te admittens: Eya fac vt te ſtabiliter, ſemper & vbique nobis præſentem ſentiamus, reuereamur & timeamus.

5 O LVX inextinguibilis, Quæ in te ſemper luces, & nunquam offuſcaris, omnemque hominem, quantum ex te eſt, illuminas: Eya ſemper luceas in cordibus noſtris, noſq; clara tui, tuæque voluntatis notitia illumines.

6 O PAX imperturbabilis, Quæ omnis paſſionis & perturbationis expers, in te tranquilla ſemper manes, & electis tuis, inter ipſas quoque mundi huius præſſuras, pacem donas: Eya ab omni perturbatione nos libera, & inter aduerſa, pacem in te nobis dona.

Tertium Ternarium.

7 O STABILITAS omnia mouens Deus, Qui immotus in te permanens, omnia iuxta propriam ſingulorum naturam moues: Eya fac vt tibi fideliter adhæreamus, & à te in omnibus iuxta beneplacitum moueamur, & in bonis propoſitis & operibus ſtabiliamur.

8 O AETERNITAS ſemper præſens Deus, Qui totus ſimul ſemper & vbique præſens es: cuique nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt, ſed omnia præſentia ſunt: Eya fac vt te ſemper & vbique præſentem intueamur, & reuereamur.

9 O SIMPLICITAS omnia replens Deus, Qui ſimpliciſſimus abſque vlla compoſitione exiſtens, omnia reples ſine tui extenſione, nulloque loco concluderis: ſed implendo, cuncta complecteris & ſuperexcedis: Eya imple nos tua gratia & charitate: mentemq; noſtram ab omni duplicitate & multiplicitate vitioſa purga & præſerua.

Quartum Ternarium.

10 O POTENTIA immenſa Deus, cuius voluntas eſt potentia, cuique nullus poteſt reſiſtere: Eya ſicut potes, ſcis & vis noſtri miſerere, noſque ab hoſtibus protege, & ad omne beneplacitum tuum perficiendum potentes redde.

2 O SAPIENTIA infinita Deus, Qui

omnia perfectè nosti,& sapienter cuncta disponis,nec falli potes,nec fallere: Eya fac vt te cordium nostrorum inspectorem semper attendamus,& à te prudenter in omnibus dirigamur:atque ab omni errore & deceptione liberemur.

3 O BONITAS summa Deus, Qui solus es essentialiter bonus,summè tui diffusiuus,teipsum creaturis omnibus pro singularum capacitate communicans: Eya fac vt te super omnia amemus, appetamus, quęramus & inueniamus,tuæque bonitatis effectus in nobis iugiter sentiamus.

Quintum Ternarium.

4 O VNITAS indiuisa Deus, Qui absque socio vnus es Deus, trinus in personis: sed in essentia, virtute & omni perfectione vnus indiuisus: Eya tibi soli, toto & indiuiso corde adhæreamus: teque vnum necessariū, & partem optimam eligamus, quæramus & obtineamus.

5 O VERITAS certissima Deus, Qui verè &commutabiliter talis es qualem te cognoscimus,omniaq; prout sunt verissimè agnoscis: & in verbis ac promissis tuis verax semper inueniris: Eya fac vt te veraciter & absque errore contemplemur, tuisque verbis & promissis fideliter credamus,& tui amore ac dono veraces semper simus.

6 O BENIGNITAS effusa Deus,Qui amoris igne semper succensus, omnibus benefacere,& tuam bonitatem,communicare,

etiam ingratis, ſemper es paratiſſimus: Eya huius tui amoris ignem in nobis accende, tuiſq; beneficiis nos ſemper refoue.

Sextum Ternarium.

7 O MAGNITVDO modi neſcia Deus: Qui magnus abſque quantitate exiſtens, & ideò immenſus, omnibus creaturis modum conuenientem das & conſeruas: Eya fac vt te ſemper magnificemus, & à te modum tibi placentem in omnibus noſtris ſtudiis & operibus recipiamus.

8 O SPECIES & decor vniuerſi DEVS, Qui in te ſpecioſiſſimus exiſtens, pulchra varietate cœlum, terram, & omnia quæ in eis ſunt, diſtinguis & exornas: Eya fac vt ex omnibus creaturis tuam pulchritudinem contemplemur, laudemus & concupiſcamus, & per gratiarum & virtutum decorem, pulchri coram te appareamus.

9 O ORDINIS author & conſeruator Deus, Qui omnia ſuauiter ordinas, ad tuam gloriam, & electorum tuorum ſalutem: Eya fac vt omnia ordinatè faciamus propter te, tuiq́ue honorem, noſtramq́ue & proximorũ veram ſalutem.

Septimum Ternarium.

9 O PRIMVM principium Deus, Ex quo fontaliter omne bonum in omnes creaturas profluxit, profluit & profluet in æternum: Eya fac vt omne bonum tibi aſcriba-

mus, à te expectemus, & ad te referamus.

2 O IMAGO PRIMI PRINCIPII, Fili Deus, Qui es Patris imago verissima, viua, & lucidissima: verissimè & perfectissimè patrem repræsentans, clarissimè intuens & contemplans, ipsumq; sanctis manifestans: Eya fac vt in te & per te Patrem agnoscamus, contemplemur & glorificemus.

3 O DONVM perfectissimum & sufficientissimum, datumq; optimum Spiritus sancte Deus, cuius communicatione omnes sancti perficiuntur, satiantur, & boni ac beati efficiuntur: Eya teipsum nobis communicans, nos perfice, satia & beatifica.

Octauum Ternarium.

4 O ALTITVDO eleuans Deus, Qui omnibus superemines, omniaque ad te trahis, & eleuas, & tibi seruire facis: Eya à terrenis & creatis, ad te nos eleua, vt super omnia te amemus, quæramus, & adoremus, tibique ex amore seruiamus.

5 O PVLCHRITVDO alliciens Deus, Qui tua pulchritudine Sanctos ad tui contéplationem allicis, eosdemque in tuæ pulchritudinis admiratione & laude à se deficere, & in tuam transformari claritatem facis: Eya fac vt tuam pulchritudinem præ omnibus concupiscamus, quæramus, & tandem aliquando clarè videamus, laudemus: & in eã transformemur.

6 O DVLCEDO agglutinans Deus, Qui tuæ dulcedinis gustu, sanctos suauiter af-

ficis,

ficis, attrahis & tibi coniungis: Eya renuat in creatura consolari anima nostra: vt possit tua dulcedine affici, attrahi, & tibi agglutinari.

Nonum Ternarium.

7 O PATER luminum Deus Pater, à te lumen tibi consubstantiale & coæquale filius tuus ab æterno procedit, & ex te omnis lux creata ortum habet: Eya te fontem lucis adoremus, & ex te lucem scientiæ & sapientiæ salutaris iuxta mensuram tuæ donationis recipiamus.

8 LVX lucis, & lumen de lumine Fili Deus, tu à Patre seipsum cognoscente, ab æterno genitus, ipsum clarè repræsentas, intueris, & sanctis reuelas: fons omnis creati luminis cum patre existens: Eya per te, & in te, patrem cognoscamus, côtemplemur, glorificemus, & quid ei sit acceptum, omni tempore videamus.

9 O ILLVMINATIO & inflammatio sancta, Spiritus sancte Deus, tu donis scientiæ, consilij, intellectus, & sapientiæ electos illuminas & inflammas, ac efficaciter ad ea quæ tibi sunt placita moues: Eya his tuis donis nos semper illumina, inflamma, moue & perfice.

Decimum Ternarium.

10 O FONS æternitatis Deus Pater, tu per æternam verbi tui generationem, ab æ-

terno indeſinenter fluis, & reipſum communicas inuariabiliter, nec principium habens nec finem habiturus: Eya fac vt ſtabiliter te præſentem ſemper cogitemus, reuereamur, tibiq́ue ex amore ſeruiamus.

11 O PLENITVDO lucis Fili Deus, in te nullæ ſunt nec eſſe poſſunt tenebræ: ſed de tua plenitudine Sancti omnes lucem gratiæ & illuminationem ſalutarem accipiunt, & in lumine tuo lumen paternum contemplantur: Eya tenebras culpę & ignorantiæ à nobis expelle, tuæq́; gratiæ luce nos perfunde, illumina, & ad tuæ maieſtatis celſitudinem contemplandam nos eleua & conforta.

12 O MVLTITVDO pacis Deus: tu in te ſemper pacatiſſimus & quietiſſimus, Sanctos tuos ab omni perturbatione, & triſtitia mala liberas, & multiplici pace, continuoq́ue & imperturbato gaudio lætificas, ſatias & inebrias: Eya fac nos ſemper in tua pace gaudere, & tranquilla tandem tuæ diuinitatis fruitione plenè ſatiari & inebriari.

EXPLICATIO DECADIS tertiæ Ternariorum ſuperſanctiſſimæ Trinitatis, quæ decem Angelorum ordinibus correſpondet.

CAPVT XXXVIII.

Primum Ternarium.

1 O PIETAS SVMMA DEVS: tu ſemper & vbique nobis aſſiſtens, paterna pietate noſtri curam gerens: tuoſque angelos ſanctos facis noſtræ cuſtodiæ & ſaluti ſemper intendere. Eya fac, vt te ſemper nobis præſentem reuereamur, & timeamus: in omni neceſſitate & anguſtia ad tuam paternam pietatem fiducialiter confugiamus: eique nos & noſtra omnia committamus. Angelos etiã cuſtodes noſtros reuereamur: eorumque miniſterio in omnibus iuxta tuũ beneplacitum dirigamur, protegamur, & perficiamur.

2 O PROVIDENTIA infinita Deus: ſine cuius diſpoſitione & ordinatione, nihil prorſus fit: quia etiam electis tuis omnia prouides, & in bonum cooperari facis. Eya fac, vt hanc tuam prouidentiam in omni rerum euentu attendamus & laudemus: de eius diſpoſitione cuncta ſuſcipiamus, & profutura nobis ſperemus: fructumque aliquem ex omnibus colligere ſtudeamus.

3 O BENIGNITAS effuſa Deus: Qui benignè & efficaciter electis tuis ſemper ſuccurris, à malis eos protegés, & ad bona quæque promouens. Eya benignè fac nobis in bona voluntate tua ſemper, ab omnibus quę tibi diſplicent reuocans, & ad placita tibi dirigens & confortans.

Secundum Ternarium.

4 O LVX AETERNA DEVS: Qui Archangelis ſecreta tua conſilia reuelas, &

per

per eos illuminas & dirigis sanctos sacerdotes & pastores animarum. Eya fac vt tibi iugiter adhæreamus, & Archangelorum ministerio, de perfectioribus semitis edoceamur & eis strenuè ambulemus.

5 O CANDOR LVCIS æternæ Fili Deus: qui paternam lucem perfectissimè exprimis, intueris & electis tuis ostendis. Eya in te, & per te, claritatem paternam agnoscamus, laudemus, & in eam transformemur.

6 O CALOR LVCIS æternæ Spiritus sancte Deus: quo Pater & Filius sese mutuo ardentissimè diligunt, qui etiam diuino amore electos calefacis, & feruentes in omni bono efficis. Eya tepiditatem nostram tuo calore succende, & spiritu feruẽtes nos semper effice.

Tertium Ternarium.

7 O PRINCIPIVM omnia regens Deus: Qui terrena simul & cœlestia potenter regis & moderaris, & per principatus cęlestes, Regum & Principum terrenorum mores & regna pro arbitrio disponis. Eya reges & principes nostros in omnibus iuxta tuum beneplacitum dirige, conserua & perfice: nosque cum illis ad te, principium nostrum, recta via tendere & peruenire concede.

8 O EXEMPLAR PRIMI PRINCIPII Fili Deus: in quod intuens, ipsum primum principium, omnia operatur, & in sapientia disponit & gubernat omnia. Eya fac, vt te semper pro exemplari attendamus,

mus, & secundùm te omnia semper sapienter operemur.

9 O FINIS OMNIVM DEVS: propter cuius bonitatem omnia facta sunt, & ad cuius honorem & gloriam omnia sunt referenda. Eya fac, vt propter te omnia ex amore inchoemus, & ad tuam gloriam omnia referamus.

Quartum Ternarium.

1 O POTESTAS insuperabilis Deus: qui per cœlestes potestates, hostium nostrorum visibilium & inuisibilium malignos conatus reprimis, ne vltra quàm ad salutē nostram expedit, nocere possint. Eya hostes nostros reprime & compesce, nosq; conforta ad resistendum omnibus impugnationibus mundi, carnis, & diaboli.

2 O ILLVMINATIO vera sanctorum Deus: Qui facis electos tuos clarè cognoscere laqueos inimici: occultas quoque naturę quęsitiones: spirituum discretionem illis infundens. Eya doce nos per spirituum discretionem, vniuersas hostium insidias & tentationes agnoscere, & per veram humilitatem amorosamque patientiam eas euadere,

3 O SALVS IVSTORVM secura Deus: qui electos tuos de manu inimicorum liberas, & à periculis protegis & eripis: eosq; in te tuto quiescere facis. Eya fac, vt sine timore de manu inimicorum omnium liberati,

ser-

seruiamus tibi in secura sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ nostræ.

Quintum Ternarium.

4 O VIRTVS immensa Deus: qui à teipso essentialiter habens virtutem operandi quæcunque volueris: es fons, essentia, & perfectio virtutum Angelicarum & humanarũ, & per angelicas virtutes, miracula sicut vis, & quando vis operaris. Eya operare in nobis liberè quæcunque volueris: nosq; angelicarum virtutũ ministerio, ad studia & exercitia virtutum excita & conforta.

5 O ACTVS purissime, & forma simplicissima Deus: expers omnis materiæ, & accidentis, omnisque passiuæ potentiæ, & mutationis: habens esse simplicissimum, perfectissimum & actualissimum, totum simul semper in actu, & omnibus creatis dans actum & formam, per quam existunt & operantur. Eya actua, & informa nostrum intellectum tua veritate, vt te clarè videamus, & glorificemus: tuamque voluntatem beneplacentem in omnibus cognoscamus & sequamur.

6 O FRVCTVS DVLCISSIME Spiritus sancte Deus: Qui es amor & dulcor quo tota Trinitas in tua contemplatione & operatione summè delectatur, & electi in bonis operibus recreantur & confortantur: Beatique reficiuntur & satiantur: Eya fructu & gustu tui amoris, ad operandum bona, nos excita: Inter operandum recrea &

refice, tandemque cum beatis in æternum nos satia.

Sextum Ternarium.

7 O MAIESTAS OMNIBVS DOMINANS Deus, Qui omnia ad nutum tibi subiecta possidens: liberè & quietè omnibus dominaris & imperas: & cœlestes dominationes te adorantes, tuoque dominio congratulantes, per te alijs inferioribus spiritibus quæ agere debeant, tranquillè imperant: Eya fac vt tuo dominio voluntariè semper subiiciamur: & dominationum ministerio, vitiis & animo nostro liberè dominemur: subditisq; quietè, quæ iusta sunt imperemus.

8 O GLORIA DIVINAE MAIESTATIS Fili Deus, Qui Patris maiestatem clarissimè repræsentans, intueris, laudas, & Sanctis reuelas: Eya in te, per te, & tecum diuinam maiestatem cõtemplemur, laudemus & adoremus.

9 O DIVINITAS OMNIA replens vbique tota, nullo tamen loco conclusa: sanctos tua fruitione satians & beatificans: Eya reple nos tua gratiosa præsentia, tuaq; fruitione tandem nos satia & glorifica.

Septimum Ternarium.

1 O AEQVITAS inflexibilis Deus, Qui es fons & regula omnis æquitatis & iustitiæ, & in thronis angelicis tanquã iudex sedens,

ſine acceptione perſonarum iuſtè omnia iudicas:nullum bonum irremuneratum, nullumque malum impunitum relinquens: Eya fac, vt tuæ æquitati iugiter adhæreamus, & ſecundùm eam nos & omnia iudicemus.

2 O SAPIENTIA indeceptibilis Deus: Qui ſcrutaris corda & renes, & quid ſingulorum operibus & ſtudijs, iuxta tuam æquitatem debeatur, clariſſimè agnoſcis: Eya fac nos actus noſtros, & eorum qui nobis ſunt commiſſi, diligenter examinare: prudenter diiudicare, & quid ſingulis ex æquitate debeatur, agnoſcere.

3 O PAX imperturbabilis Deus: Qui cum ſumma tranquillitate iudicas omnia, & æqualis ac immotus in te permanens: bonis præmia, & malis ſupplicia pro ſingulorum meritis, rependis: Eya fac vt ex amore tuo abſq; perturbatione & tempeſtate, vel puſillanimitate, tranquillè & quietè iudicia noſtra decernamus & exequamur.

Octauum Ternarium.

4 O FONS veritatis Deus Pater: Qui ab æterno verè & perfectè te agnoſcens: genuiſti verum & perfectum tuum verbum, à quo omnia vera dicuntur: Eya genera in mẽtibus noſtris verum de te verbum & conceptum, quo veraciter & abſq; errore te agnoſcamus & reuereamur.

5 O VERITAS Patris Fili Deus, Qui verè & perfectè patrem repręſentas, intueris, & beatis Cherubin reuelas, implens eos

plenitudine ſcientiæ: Eya per beatorum Cherubin miniſteria, doce nos ſcientiam ſalutis, & veram tui, tuæque voluntatis notitiam.

6 O SPIRITVS & amor veritatis, Qui cordibus ſanctorum amorem & guſtum veritatis infundis, eiusque contemplatione & fruitione plenè eos ſatias: Eya accende nos tuæ veritatis ſancto & feruenti amore, ac deſiderio: eiusque fruitione nos beatifica.

Nonum Ternarium.

7 O IGNIS ſemper ardens & conſumens Deus, Qui ſemper in te per amorem ardes, & nunquam extingueris, & in electis tuis, amoris tui igne conſumis, quicquid eos à tua vnione poteſt impedire: Eya ignem tui amoris accende iugiter in cordibus noſtris, & quicquid in nobis diſplicet, conſume.

8 O FLAMMA ſemper lucens Deus, Qui in te ſemper luces per claram tui notitiam, & nunquam offuſcaris: tuosque electos iugiter illuminas, vt te tuamque voluntatem agnoſcant: Eya illumina tenebras noſtras, vt te clarè contemplemur & laudemus: tuamque voluntatem in omnibus perficiamus.

9 O ARDOR SEMPER feruens, Deus: Qui amando ſemper ferues, & nunquam tepeſcis: tuoque ardore ſanctos in omni bono feruere facis: Eya fac nos ſpiritu

feruentes: & ad omne opus bonum promptos & deuotos.

Decimum Ternarium.

10 O SVBSTANTIA SEPARATA Deus, Qui ab omni materia & accidente separatus: plus per te, in tua essentia simplici subsistis: omnesque angelicos spiritus absq; materia corporea subsistere facis: Eya spiritum nostrum ab omni corporea cogitatione & affectione separatum, in te stabili, absorbe & transforma:

11 O INTELLIGENTIA PVRA Deus, Qui absque vllis ignorantiæ tenebris: omnia simul vnico interrogandi actu simplicissimo, ab æterno semper intueris: Eya purifica intelligentias nostras ab omni errore & obscuritate: vt clarè teipsum tuamque voluntatem semper agnoscamus & amplectamur.

12 O SPIRITVS SIMPLEX & ardẽs Deus, Qui corporeæ molis prorsus expers, amore semper ardes: & Spiritus beatos succendis & inebrias: Eya tui amoris ardore, spiritum nostrum ab omni terrena affectione purifica, succende & inebria.

EXPLICATIO DECADIS quartæ Ternariorum supersanctissimæ Trinitatis.

CAPVT XXXIX.

Primum Ternarium.

1 O PATER PERENNIS gloriæ, cuius gloria & fœlicitas nec principium habuit, nec finem est habitura, nec minui potest, nec augeri: sed immensa & infinita ab æterno vsque in æternum permanes: Eya fac vt tuam gloriam stabiliter cogitemus, & ardenter desideremus.

2 O SPLENDOR paternæ gloriæ, Fili Deus, Qui Patris gloriam perfectissimè repræsentas, contemplaris, & sanctis manifestas: Eya fac vt in te, & per te gloriam Patris contemplemur, & glorificemus, & in eam transformemur.

3 O DELITIAE Patris & Filij Spiritus sancte Deus, Qui es amor & gaudium, quo Pater in Filio, & Filius in Patre, optimè sibi complacent, & tu simul in eis, & cum eis delectaris: Eya ab omni impura delectatione fac nos abstinere, vt tuis internis delitiis affici & inebriari possimus ad tuam gloriã.

Secundum Ternarium.

4 O SVBSTANTIA prima & perfecta, Deus Pater, Qui totum tuum esse perfectissimum ab æterno & vsque in æternum à temetipso simul habes, sine successione, sine augmento, sine vllo defectu vel minutione: Eya fac vt te semper & vbiq; præsentem sentiamus, reuereamur, timeamus, tibique stabiliter adhæreamus.

5 O FIGVRA ſubſtantiæ Patris, Fili Deus, Qui paternam ſubſtantiam perfectiſſimè exprimis, contemplaris & ſanctis tuis reuelas: Eya fac vt per te, & in te Patrem agnoſcamus, laudemus, & quid ei ſit gratum omni tempore ſciamus & ſequamur.

6 O NEXVS, & vinculum Patris & Filij Spiritus ſancte Deus, Qui es amor, quo Pater & filius indiſſolubili & ſuauiſſimo nexu iunguntur, & quo Sancti vnitrino Deo vniuntur & agglutinantur: Eya tui amoris glutino, nos Patri & Filio, tibique ſic coniunge & agglutina, vt nullis tentationibus, vel occaſionibus, à te tuaque gratia & charitate ſeparemur.

Tertium Ternarium.

O FONS BONITATIS Deus Pater, Qui à teipſo eſſentialiter bonus, omnium creaturarum bonitates, cauſas, conſeruas & in te ſupereminenter contines & habes: Eya fac vt tibi iugiter per amorem adhæreamus, teque ſolum in omnibus & ſuper omnia appetamus, quæramus, & tandem inueniamus.

8 O IMAGO diuinæ bonitatis Fili Deus, Qui paternam bonitatem tuam perfectè habes, repræſentas, intueris, & electis tuis manifeſtas: Eya fac vt in te, & per te videamus guſtemus, quàm bonus & ſuauis ſit pater tuus.

9 O COMMVNICATIO diuinæ bonitatis Spiritus ſancte Deus, Qui es amor in

quo & propter quem diuina bonitas creaturis omnibus, iuxta singularum conditionem & capacitatem sese communicat: Eya pectoribus nostris sic insere tui amorem, vt propter eum & per eum diuinæ bonitatis effectus, & participationem nostræ saluti cõuenientem, in nobis iugiter sentiamus; ad tuã gloriam, & omnium salutem.

Quartum Ternarium.

1 O ENS primum & perfectum Deus, Qui ab æterno à te solo subsistis, omnibus creaturis dans esse & subsistere: Eya fac vt in omnibus te præsentem sentiamus, tibiq; iugiter adhæreamus.

2 O VERVM primum & increatum Deus, Qui verissimè & perfectissimè talis es in re, qualem te intelligendo cognoscis esse: & creaturas ex eo veras esse facis, quod tales sint quales eas agnoscis: Eya fac vt te verè agnoscamus: & per te nos & cętera quę ad nos pertinent absque vllo errore, veraciter consideremus, iudicemus, & intelligamus.

3 O BONVM primum & summum Deus, à quo omnia habent vt bona sint, & in quo omnium bonitates creaturarum, modo supereminenti & infinito, inueniuntur: Eya fac vt tibi omne bonum nostrum ascribamus, & à te acceptum, ad te, tuumque honorem referamus: teque solo super omnia propter te fruamur.

Quintum Ternarium.

4 O VITA omnium viuentium Deus, Qui solus à temetipso vitam habens, omnibus viuentibus eam communicas, & pro arbitrio conseruas: Eya vitam nostram temporalem iuxta tuum beneplacitum conserua, & in tua pace dispone: tuaq; gratia & charitate animam nostram iugiter viuifica.

5 O SENSVS omnium sentientium Deus, Qui per temetipsum absque organo corporeo omnia perfectè & spiritualiter audis, vides, odoraris, gustas & tangis, omnibusque sentientibus vires sensitiuas donas & conseruas: Eya sensus nostros corporales à noxiis retrahe excessibus, & spiritualibus sensibus fac subseruire, vt te in omnibus audiamus, videamus, odoremus, gustemus & amplectemur.

6 O OPERATIO omnium operantium Deus, Qui es vnicus & purissimus actus, vnica, continua & indiuisa ac incommutabili intelligentia & voluntate ab æterno te & omnia intelligens & amans, omnibusque operantibus, virtutem operandi conferens & conseruans: Eya excita nos semper & conforta ad operandum quęcunque tibi placita fuerint.

Sextum Ternarium.

7 O ABYSSVS supereffluens diuinitatis Deus Pater, cuius terminum aut profundum seu essentiam, nulla creatura potest perfectè comprehendere, quique superbos & curio-

ſos tuæ maieſtatis ſcrutatores, excæcas & opprimis, humiles autem & deuotos tui contemplatores, in te rapis, abſorbes, & tranſformas: Eya fac vt cum omni humilitate & deuotione ſemper cõtemplemur, & in tuam abyſſum tandem aliquando abſorbeamur & transformemur.

8 O LVCERNA ſemper fulgens diuinæ claritatis Fili Deus, Qui paternam claritatem perfectè intueris, exprimis, & ſanctis tuis pro ſingulorum capacitate manifeſtas; Eya per te, & in te, lucem paternam contemplemur, laudemus, & quid ei gratũ ſit agnoſcamus & ſequamur.

9 O SAPOROSA vnio intimæ ſuauitatis Spiritus ſancte Deus, Quo Pater & Filius, ſuauiſſima vnione copulantur, & ſancti dulciſſimo ſapore diuinæ bonitatis afficiuntur: Eya tuæ ſuauitatis ſapore & amore nos affice, ſuccende, transforma & vni.

Septimum Ternarium.

1 O PATER, ex quo ſupereffluentia copioſa in omnes creaturas procedit, & maximè in miſericordes, tibiq; ex amore ſeruientes: quibus reddis menſuram bonam, confertam & ſupereffluentem ac coagitatam; Eya effunde ſuper nos ſupereffluenter gratiam & miſericordiam tuam, & fac vt ex amore tibi ſeruiamus, & propter te aliis miſericordes ſimus.

2 O FILI DEVS, ad quem eſt allicientia amœnoſa, quia tua amœna & deſi-

derabili pulchritudine, ſuauiter ſanctos allicis ad te contemplandum & glorificãdum: Eya oſtende nobis tuã pulchritudinem, quæ à terrenis nos abſtrahens, ad tui contemplationem nos alliciat.

3 O SPIRITVS SANCTE Deus, per quem influentia affectuoſa tui amoris in corda electorum promanat, quę omni bono eos replet & ſatiat: Eya influe nobis tui amoris guſtum & affectum, vt in te ſolo delectari & quieſcere poſſimus.

Octauum Ternarium.

4 O PATER clariſſime & amantiſſime, Qui in te & ex te clariſſimus abſque vlla obſcuritate exiſtens, ex amore ſanctos tuos clarificas: Eya propter amorem tuum & bonitatem, ab omnibus tenebris nos liberans clarifica.

5 O CLARA facies & vultus Patris Filli Deus, Qui claram & perfectam notitiam & imaginem Patris exprimis & repręſentas, in quem intendentes ſancti, facie ad faciem Patrem intuentur & glorificant: Eya fac, vt in te iugiter intendamus, & per te Patrem contemplemur, & laudemus in æternum.

6 O FLATVS dulcis Patris & Filij Spiritus ſancte Deus, Qui ex mutua Patris & Filij dilectione, per modum ſpiritus & voluntatis ab ęterno ſpiraris, & per inſufflationem à Chriſto Apoſtolis datus es, tuoque ſeptiformi ſpiritu ſanctorum corda perflas & fœcundas: Eya per Chriſti meritum perfla

hortum mentis nostræ tuo septiformi Spiritu, vt fluant aromata illius, ad tuam gloriam & omnium salutem.

Nonum Ternarium.

7 O VIRTVS animæ meæ, me sustentans & confortans ad operandum tibi placita: Eya fac vt sollicitus sim tibi semper adhærere per amorem, & boni operationem.

8 O LVMEN oculorum meorum, sine quo cæcus sum, per quod video quæ agenda, & quæ fugienda sint, quæ credenda & speranda: Eya illumina semper oculos meos, ne vnquàm obdormiam in morte.

9 O SOLATIVM meum dulce, sine quo sum tristis & desolatus: Eya in omni tribulatione & angustia fructibus spiritus tui me consolare, tuisque promissionibus me recrea & conforta.

Decimum & vltimum
Ternarium.

10 O FONS vitæ perpetuus, Qui à temetipso vitam æternam habens. omnibus viuentibus vitam influis & conseruas: Eya vitam nostram temporalem per vitam gratiæ, sic dirige & dispone, vt ad vitam gloriæ æternæ tecum tandem perueniamus.

11 O VIVIFICI fontis profluuium Fili Deus, Qui per æternam generationem à Patre, fons de fonte procedis, & per te paternus

fons in omnes creaturas profluit, & sese communicat: Eya fluminis tui impetu nos lætifica, & in vitam æternam dirige.

12 O SAPOR aromatice diuinarum dulcedinum Spiritus sancte Deus, Quo tota Trinitas propria dulcedine ineffabiliter delectatur & satiatur, sanctique replentur & inebriantur: Eya renuat anima nostra in terrenis delectari, vt tuæ dulcedinis gustu & sapore hîc refici & recreari, & tandem cum sanctis tuis inebriari, & beari possimus. Amen.

DEO GRATIAS.
C. C. R.

METHODVS SERVIENDI DEO, PER R. P. ALPHONSVM MADRILIENſEM, primùm conſcripta. Et per R. P. Io. Michaelem, P. Carthuſiæ, ac totius ordinis Carthuſ. generalem Miniſtrum, in formam continuæ orationis redacta, & breuiùs collecta.

COLLECTORIS AD DEVM ORAtio, & huius operis oblatio, & dedicatio.

SVPERAMANDISSIME IESV Domine Deus meus, conſiderans, & experientia docente, percipiens Methodum tibi ſeruiendi, à Reuerendo Patre Alphõſo Madrilienſi conſcriptam & traditam, vtiliſſimam eſſe, & ſummè neceſſariam, volenti in amore tuo, & virtutibus ſolidis proficere, tibique gratiſſimum ſeruitium impendere: curaui eandem Methodum in formam continuæ orationis redigere, & mihi ipſi tranſcri-

bere: vt ilam & firmiùs memoria commendarem, & clariùs intelligerem, & faciliùs exercerem, & efficaciùs à te impetrarem orando gratiam, ad huius Methodi praxim & exercitationem, neceſſariam, quia verò plures intellexi non parùm adiutos hac Methodo in orationis formam ſic redacta; ideo ad communem vtilitatem, pro ſolo tui amore & beneplacito, eam in lucem prodire conſenſi. Quam digneris obſecro acceptare, & ſic benedicere: vt omnes qui eam deuotè legerint, in tui ſincera dilectione, & vero cultu proficiant, & perſeuerent, ad tuam gloriam ſempiternam. Amen.

(.·.)

INDEX CAPITVLORVM HVIVS METHODI.

Capitula primæ partis.

Capitula secundæ partis huius Methodi.

Capitula tertiæ partis Methodi.

Finis Indicis Capitulorum huius Methodi.

PROLOGVS AD LECTOREM.

EN habes, Lector deuotè, iam verè aureā Methodum seruiendi Deo, à R. Patre Alphonso Madriliensi conscriptam, hic in orationis continuæ formam redactam, seruatis ferè semper verbis eiusdem authoris, sed immutato ordine, eorum præsertim quæ in prima parte ponuntur: ad faciliorem & clariorem praxim & intelligentiam.

Legenda primū hæc Methodus prout est ab Alphonso scripta.

Cæterum & si omnia ferè, quę in dicta Methodo continentur, hic inserta sint: fructuosissimum tamen erit eam, prout à dicto Patre Alphonso conscripta est, primò attentiùs legere: tanquam ex ore Dei audiendo quid exigat à nobis Dominus. Deinde hanc collectionem, mente potiùs quam vocali prolatione, deuotiùs & morosius perlegere, & in affectū trahere, vt quod audiuimus à Deo, & intelleximus esse faciendum postulemus, & orando impetremus ab eodem Domino. Sic enim ea, quæ in hac Methodo traduntur & clariùs intelligemus, & tenacius memorię commendabimus, & efficaciùs exercebimus, dum orando iam inclinabimus nostram voluntatem ad eorum praxim, & gratiam ad id necessariam à Deo impetrabimus. Porrò praxis & fructus huius Methodi consistit potissimum in frequenti & valida voluntatis, per intellectum directæ & adiutæ, inclinatione, ad ea acceptanda, vel recusanda, quæ hic sequenda, vel fugienda esse declarantur.

In quo cōsistat praxis & fructus huius Methodi.

Possumus autem duplici modo voluntatem nostram inclinare ad aliquid volendum, vel nolendum. Primò, orando Deum, vt det nobis illud velle, vel recusare: sic enim iam ad hoc nostram voluntatem inclinamus, & quodammodo iam volumus id, quod petimus à Deo nobis donari. Alio modo ad aliquid voluntatem nostram inclinamus: cum producimus, & exercemus actum interiorẽ voluntatis, actualiter & efficaciter volendo, vel recusando quod proponitur. Quod præmissa oratione faciliùs & efficaciùs perficere possumus.

Duplex modus inclinãdi volũtatem ad aliquid.

Vnde vtilissimum est vtroque modo inclinare nostram voluntatem: præsertim in his quæ sunt frequentiùs exercenda, & quorũ habitum assequi, & in anima nostra plantare & radicare volumus Habitus enim virtutum & bonarum affectionum, per frequentes voluntatis ad eas inclinationes, acquiruntur, & vitiorum habitus eradicantur aut vitantur, frequenter inclinando voluntatem ad ea nolenda, odienda & fugienda. Toties igitur debebimus nostram voluntatem inclinare, ad id quod volumus assequi: quoties necesse fuerit ad hoc, vt sentiamus volũtatem nostram satis inclinatam esse, sic vt promptè quoties voluerit, id exerceat. Ad quod confert plurimum, orando, simul & actum voluntatis producendo exercere ea quæ assequi volumus: maximè quando sunt magis ardua & proprię voluntati contraria.

Vtilißimus modus inclinandi volũtatem.

Quod facilè perficiemus, vtendo sequenti,

vel consimili forma. Dum ergo ad arduum aliquid volumus nostrã volũtatem efficaciùs inclinare, dicamus mente recollecta & corde integro ac deuoto, quod sequitur.

Oratio & forma efficacißima inclinan- nostrã volun- tatẽ ad quæuis ardua.

Superamandissime & supercolendissime Iesu Deus & Domine: quia vis me hoc velle aut recusare & sicut vis, vt hoc ad honorem tuum ex amore faciã: ideò purè propter te, & vt voluntati tuæ obediens, gratum & amorosum obsequiũ tibi pręstem: illud volo vel recuso. Sed quia nimis imperfecta, fragilis & infirma est hęc mea volũtas: ideò de me prorsus diffidens, obsecro te amanter & fideliter, vt meã voluntatem perficias, robores & confirmes. Quod à te confidenter expectans: Ecce iam illud toto corde volo, aut recuso, & in te ac per te firmiter propono in hac voluntate perseuerare, eamque executioni mandare, quoties occasio sese obtulerit.

Explicatio prædictæ orationis.

Notanda valde & frequenter exercẽda est hæc formula orandi & inclinandi voluntatem nostram ad quælibet ardua: continet enim multa ad hoc necessaria & plurimum efficacia. Nam primò præmittitur rectæ intentionis directio, per hæc verba, quia vis & sicut vis. Secundò, inclinatur voluntas ad obiectum propositum. Tertiò, infirmitas propria cum sui diffidentia agnoscitur & Deo repræsentatur. Quartò, diuina gratia postulatur. Quintò, in spem diuini auxilij animus confidenter erigitur. Sextò & postremò voluntas efficaciter & firmiter sese inclinat, & actum volendi, vel recusandi obiectum propositum efficacem & stabilem producit. In quo si sæ-

pius

pius se exercuerit, cito habitum promptè volēdi bona, vel recusandi mala, assequetur. Porrò quam sit vtilis & necessaria Methodus ista Deo seruiendi, ex eo satis ostēditur, quod docet & explicat, quo fine & ordine, quibusue exercitiis & modis ad opus deducere valeamus ea, quæ cæteri libri spirituales docēt esse facienda vel fugienda, & ad quæ amplis verbis & monitionibus nos inuitant. Vnde cum (D. Ambrosio teste) ignorantia ordinis, & modi, quibus operandum est, plurimum turbet meriti & operis qualitatem: constat hanc Methodum multum conferre, ad cæteros libros clariùs intelligendos, & efficaciùs in praxim reducendos. Tradit enim modum, quo mouere debeamus intellectum nostrum & voluntatem, ad hoc, vt sciamus, velimus & valeamus dignè, & perfectè vitiorum habitus eradicare & vitare: & virtutes operari, eorumque habitus assequi. Et quoniam multi sunt, qui nec dum versati sunt in cognitione & exercitatione actuum intellectus & volūtatis: talibus videbitur hæc Methodus sub obscura & difficilis: & fortasse illis, dum incipient hanc artem addiscere, eueniet, quod infanti solet accidere. Hic enim cum pedes & crura habeat, non tamen potest incedere, vbi autem crescere incipit, mouet quidem membra, sed cum magna difficultate, & subinde cadendo; donec succrescente ætate, & continuo vsu accedente ita liberè incedit, vt etiam currat, dum libet. Sic, dum quis in actibus intellectus & voluntatis, nondum exercitatus, incipit Deo seruire iuxta huius Metho-

Vtilitas & necessitas huius Methodi.

Quibus videatur hæc Methodus difficilis.

Simile.

thodi documenta: licet animã integram habeat, quia tamen alligata eſt, & irretita multis vitioſis habitibus & affectibus; ideò vires non habet ad ambulandum ſpiritu in via perfecta: aut, ſi ad eam intellectum & voluntaté mouet, hoc, cum tanta difficultate & affectus tepiditate & ariditate facit, vt ipſum ambulare nullum videatur. Si tamen in hoc viriliter contenderit, & perſeueranter laborauerit: tandem, dum id vix ſperare audebit, etiam curret per ſublimia iſta, quæ hic traduntur, itinera.

Meritò laborandũ pro addiſcenda hac Methodo.

Porrò nec mirum nec durum videri debet, aliquot dies, & menſes etiam vel annos cum labore inſumere ad addiſcendam & aſſequendam ſublimem hanc ſapientiã & artem Deo ſeruiendi. Si enim in addiſcenda grammatica inſumit quis tres aut quatuor annos, idque cum aſſiduo labore & vigilantia; multò iuſtius & vtilius eſt, vt laboremus, imò & totã vitam noſtram in ſumamus in diſcenda & exercenda perfectè hac arte: ad quam cum tanto labore docendam, ſupremus magiſter & Dominus noſter IESVS Chriſtus ad nos venire dignatus eſt. Res certè adeo ſpiritualis, cuius tam rarus eſt vſus, nec ſcribi potuit verbis cuilibet patentibus: nec ſine magnis laboribus & exercitiis comparari poteſt.

Profectus in amore & cultu Dei, ex hac

Veruntamen lector huius Methodi, certo ſibi polliceri poterit: quod, ſequendo, & practicando documenta, & exercitia quæ in ea traduntur: trimeſtri ſpatio, diuina cooperante gratia, perfectiùs animam ſuam inſtituet & promouebit ad aſſequendum perfectum

Dei amorem, quàm longo admodum tempore id posset efficere, negligens aut ignorans hac, vel simili methodo se iuuare. *Methodo certò sperādus.*

Gratias ergo agamus omnes Domino Deo, pro eo quod sua magnifica bonitate, dignatus est per R. Patrem Alphonsum, breuem hanc Methodum sibi dignè seruiendi in morem artis disponere & omnibus offerre, vt increscente nostra fragilitate, abundaret facilitas cognoscendi & exercendi id, quod erat nobis tam necessarium.

(.·.)

C. C.
R.

METHODVS SERVIENDI DEO R. P. ALPHONSI MADRILIENSIS, IN FORMAM CONTINVAE ORATIONIS redacta & breuiùs collecta.

PARS PRIMA.

Ad quem homo finem sit creatus.

CAPVT I.

Ad qd creatus homo. *Ad æternam beatitudinem assequẽdam homo factus.*

CREDO, & gratias agens confiteor, quod tu Deus æternus, tibi ipsi superficientissimus existens & beatissimus: bonorumque nostrorum nil egens. Ex purissima tua bonitate & charitate æterna, nos ideò ad imaginem & similitudinem tuam creasti; vt recolendo & adorando, te agnoscendo & laudando, te amando tibique congratulando, & ex amore tibi seruiendo, tuæque voluntati in omnibus filiali affectu obediendo, tandem efficeremus beati, tuique possessores per claram tuæ diuinitatis visionem fruitionemq; beatificam, qui

es bo-

es bonum prorſus infinitum & æternum: in quo omnia bona longè eminentiùs & abundantius poſſidebimus, quàm vel cogitare ſufficiamus.

DE DVPLICI VIA AD hunc finem & beatitudinem pertingendi.

CAPVT II.

CAETERVM tu Dominus ac magiſter noſter vnicus, æterna patris ſapientia, docuiſti duplicem eſſe viam qua poſſumus ad beatitudinem, finem noſtrum, peruenire: Dum adoleſcenti, quęrenti à te, quid faceret, vt vitam æternam poſſideret; Reſpondiſti, ſerua mandata: rurſusque ei affirmanti, ſe illa à iuuentute ſeruaſſe, dixiſti: ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ poſſides & da pauperibus, & veni ſequere me. Ex quibus tuis verbis oſtendiſti vnam vitæ æternæ conſequendæ viam conſiſtere in præceptorũ diuinorum obſeruatione: alteram in ſequendis conſiliis Euangelicis, & æmulanda & ſectanda perfectione.

Duplex via ad beatitudinem perueniendi. 1. Mandatorum. 2. Conſiliorum.

Et licet tù Deus ac Dominus noſter in hominum libertate ac comitate reliqueris, vt ſecundo modo tibi ſeruirent nec ad hoc obligare eos volueris: ad hoc tamen inuitantur omne, & niſi abiecti ac incircũſpecti eſſe malint, debent pro viribus & conditione ſua aſpirare.

Omnes inuitantur ad perfectionẽ licet nõ obligentur.

 pirare.

pirare. Omnibus enim propositum est magnum illud mandatum de te diligendo toto corde, tota mente, tota anima, & ex totis viribus; quod multum imperfectè à nobis impletur, nisi secundo modo tibi seruiendi, ad perfectionem iugiter contenderimus. Quod si reprehensione dignus iudicaretur negotiator, qui accedens ad locum negationis, negotiaretur & lucrum faceret in re vili, cum posset in re pretiosa & magni lucri: certè longè magis culpandi sumus, si in hoc mundo positi vt tibi dignè seruiendo lucremur vitam æternam, occupamur in abiecto tui seruitio: tibi seruiendo modo mixto mundanæ vanitati (quæ cito transit plurimumque mali adfert) & omittimus (cum possemus) tibi seruire secundo & perfectiori modo, quo es super dignissimus, quique est tibi gratissimus: & ex quo summa vtilitas & merces nobis hic & in æterna tua gloria prouenit. Ad quem etiam seruiendi tibi modũ sublimiorem vt nos excitares: Tu Deus superbeatissime dignatus es homo fieri, vitamque sanctissimam in multis exercitiis humilitatis, paupertatis & patientiæ per graues labores ducere: non quod tua sacratissima & regia persona his indigeret: sed quia plurimum nobis conferebat tua vestigia sequi & exercitia imitari. Voluisti seruus fieri, vt nos seruire doceres. In plurimis autem rebus seruisti: vt intelligeremus quam exercitati & exacti esse debemus in omni virtute, si tibi tanto Domino seruire cupimus. Voluisti denique ignominiosissimam & acerbissimam mortem pati; vt per hæc omnia nos in-

Simile quo reprehenditur negligentia eorum qui non conantur perfectiori modo Deo seruire.

Christ⁹ suo exẽplo nos inuitat ad viã perfectionis.

inuitares ad te sequendum eodem sublimi & perfectiori itinere: abstracti ab infinitis propriis concupiscentiis, quę quolibet momento nobis repræsentantur. Et quamuis tu Deus non obligaueris nos sub comminatione mortis æternæ, vt tuo obsequio essemus perpetuo intenti, sed tunc duntaxat quando obseruandum occurreret aliquod præceptum : lege tamen æquitatis & condecentiæ, decet nos omnes ad imaginem & similitudinem tuam creatos, tuaque dignatione filiorum tuorum nomine donatos: te tantum patrem ac Dominum sublimiori modo & perfectiori sanctitate colere; præsertim cum tua voluntas sit sanctificatio nostra. Et sanè æquissimum est vt nos, qui sumus filij tui (quem Seraphin in cessanter sanctum proclamant) iuxta fragilitatem nostram sancti esse conemur, & iugi studio ac exercitatione cor nostrum ab amore cuiuscunque rei terrenæ abstrahamus: illudque reflectamus & ex toto conuertamus ad te patrem nostrum, qui es infinitæ bonitatis & amabilitatis, infinitarumque opum & excellentiarum. Tunc enim toti ad imaginem & similitudinem tuam esse inueniemur, cum in hoc nos occupamus, vt te cogitemus & adoremus, agnoscamus & laudemus; te tuamque gloriam amemus, & de ea gaudeamus.

Docet omnino perfectiori modo tantæ bonitatis Deū colere homines oēs.

Nota. Vera Dei imago, quando simus.

Filios Dei decet esse sanctos.

Et quum mundi amatoribus non sufficiant acquisitæ iam opes, sed etiam plures exoptēt & sæpè contra diuinum præceptum procurent acquirere: certè non debemus esse contenti imperfecto tibi seruiendi modo, sed in dies

Simile quo docemur proficiendum

nobis esse semper in amore Dei. dies contendere ad perfectiorem virtutum exercitationem: maximè cum tua sit volũtas, vt in omnibus magnificemur & perficiamur tanquam filij tanti talisque patris cęlestis & æterni, sicut in Euangelio nos admones, dicens: Estote perfecti sicut & pater vester cœlestis. Ad quod tu magno affectu nos excitas, illuminas & adiuuas: si ad te tanquam ad patrem opulentissimum & liberalissimum deuotè accesserimus: non contenti sola præceptorum tuorũ obseruatione: sed semper scrutantes & studiosè exquirentes ac sequentes quid tu Deus magis velis: quidque tibi sit magis gratum vt agamus.

Oportet semper inquirere volũtatem Dei perfectam, & ex amore. Ad hoc enim donasti nobis intellectum & voluntatem, vt sic semper perquiramus tuam voluntatem beneplacentem & perfectam: eamque sequamur & impleamus, non solum cum amore, sed etiam ex amore.

Nõ sufficit cũ amore Deo seruire. Neque enim satis est ad benè seruiendum tibi & perfectè, vt operemur tibi placita cum amore, siue concomitante amore: sed opus est vt ea faciamus ex amore, & propter amorem tui.

Docetur exẽplo quid sit cum amore seruire. Ex amore seruire quid sit. Porrò cum amore seruit minister, qui amat quidem Dominum suum, sed tamen non propter amorẽ ipsius illi seruit, sed propter mercedem, quàm nisi ab eo expectaret ipsi non seruiret. Seruiret aũt illi cum amore & propter amorem, si ob id solum in seruitio eius occuparetur, quòd talis Dominus cupit & gratum habet tale eius seruitium, & quia ipse minister diligit bonitatem & societatem talis Domini sui, desideratque ei placere, & iu-

xta voluntatem ipsius ei obsequi, absq; vllo respectu mercedis aut commodi sui.

Quale seruitium exhibendum Domino Deo ex amore.

Tale seruitium à nobis tu Dominus noster superamandissimus & supercolēdissimus exigis, tibique supremo Domino debemus seruire non solùm cum amore, sed ex amore, sic ut tu factus homo Deo patri seruisti, vt nos doceres sic seruire. Hoc obsequium nobis cōmendasti quando adolescenti prædicto dixisti: Veni sequere me: his verbis significans & admonens nos, vt quicquid ad nostrā doctrinam scriptum est, adimpleamus, non solùm cum tui amore: sed ex amore tui, seu propter tui amorem: sic tu procul dubio omnia in terris operatus es cum amore & propter amorē Dei patris, ex quo seruitio assecutus es vniuersale dominium, & nobis ex eodem seruiendi modo reddes regnum perpetuum.

Religiosi vi voti ad specialius seruitium Dei obligantur.

Et licet omnes homines ex æquitatis lege debeāt sic tibi seruire & ad perfectionē tendere: multò tamen magis ad id nos tenemur, qui Religionem tua miseratione ingressi, & in domo tua & mensa quodāmodo familiares & domestici facti, ad id voto solenni nos astrinximus.

Vtendū ordinate bonis caducis.

Da igitur & fac bone IESV vocator noster sapientissime, & susceptor benignissime, vt quod te donante promisimus, te operante amanter, fideliter & perseueranter impleamus. Nec permittas nos in bonis huius caducæ vitæ quiescere, aut gaudium verum aut fictum sumere, cum minima sint & vilia: sed da de eis duntaxat sumere quantum iuxta tuam ordinationem & voluntatem, nostræ neces-

Exercēdæ potētiæ in veris bonis.

ſitati ſatis fuerit: Reliquam vero vitam noſtram, totamque intellectus & voluntatis noſtræ exercitationem occupare in tui tuarumq; ue opum & perfectionum ſublimium recordatione, contemplatione, amore & congratulatione.

SVMMARIVM PERfectionis, ad quam tendunt & referuntur omnia quæ in hac Methodo ſcibuntur.

CAPVT III.

DA igitur & fac bone IESV, vt ad hoc omnes iugiter conemur, & per frequētes actus voluntatis procuremus, vt tādem aliquando talis fiat in anima noſtra mutatio, quo ſentiamus voluntatem noſtram, eximia tua bona, gloriamque tuam infinitam, reputare ſemper & habere, tāquam bona noſtra, imò potiora quam noſtra: teque laudare & in te tuiſque bonis infinitis & æternis gaudere ampliùs, quàm in quouis bono quod habemus, aut ſperamus, aut quod poſſet nobis contingere.

Nota Quomodo bona gloriāqueDei pro noſtris & excellētius quā noſtra habere debeamus.

Pro perfecta etiam beatitudine noſtra ducamus & reputemus, quod tu DEVS & amor noſter, poſſideas infinita bona quæ poſſides.

Ad hoc etiam voluntatem noſtram inclinemus & aſſueſcamus, vt noſtra bona nun-

Nunquam nos ipsos quærere Debemus in bonis

quam quæramus quatenus nostra, sed te so-
lum,& quicquid habet tua maiestas, præci-
puè, & propter te quæramus & expectemus:
Nos verò eatenus duntaxat quæramus & de
nobis curam habeamus, quatenus aliquid
tuum sumus,& quatenus ex infinita tua boni-
tate,& dignatione cupis, & gratum habes à
nobis & per nos tibi seruiri, cum tamen no-
stro seruitio nihil prorsus egeas: sed quia il-
lud nobis est vtile.

Ardenter suspirandum ad cœlestia. & quo fine.

Da insuper & fac bone IESV, vt totis vi-
ribus annitamur ad regnum tuum cœleste
peruenire, quatenus te perfectius possidea-
mus,& adoremus,clariùs videamus & glori-
ficemus,ardentiùs amemus & tibi congratu-
lemur,& in te gaudeamus. Sicque sublimiori
& perfectiori modo tibi propter te seruia-
mus,sicut es superdignissimus, & sicut vis
nos hoc modo magnifieri sublimi tua hære-
ditate,gloria & beatitudine. Neque enim de-
bemus hanc beatitudinem & nostri magnifi-
cationem desiderare ob nostrum per se gau-
dium & bonum,sed quia vis & immenso de-
siderio cupis vt illam habeamus, & vt huic
tuæ voluntati satisfaciamus: quæ est san-
ctificatio & perfectio nostra,in hoc vno con-
sistens,vt vnius tecum simus voluntatis & spi-
ritus:quemadmodum in hoc seculo maxima
approximatio seu amicitia,quam quis potest
assequi,apud regem aliquem, est,vt sit vnius
cum illo voluntatis & desiderij. Ad hanc aũt
vnionem assequendam necesse habemus cun-
ctarum virtutum iter pertransire, & sic-
ut dictum est, pro vltima nostra requie ac

Nõ nos ipsos quærere oportet, sed velle Dei.

Quibus mediis vnio voluntatis nostræ cum Diuina acquiratur.

bono exoptare, vt tu tantam habeas gloriam, quantam habes & possides. Quod tu digneris dare nobis, & in nobis perficere pro tua bona voluntate.

Rele-genda.

In prædictis breui ac summaria consideratione proponitur, quicquid in hac Methodo traditur. Propterea hæc sunt animo in se collecto sæpiùs relegenda & in affectum trahenda.

QVAM LONGE A perfectione breuiter descripta & postulata nostra natura per peccatum recesserit, & ad eam facta sit multum infirma.

CAPVT IIII.

Peccatũ animã corrum pit miserabiliter.

ECCE bone IESV ostendisti nobis, & dedisti desiderare & petere à te veram perfectionem & modum tibi seruiendi gratissimum. Sed heu quanta est strages & corruptio animarum nostrarum, quæ per peccatum factæ sunt ad prædicta insensatæ & irrationales. Nam cum ad tam sublimia creati & vocati simus, audiamusque illa & legamus, multi tamen nostrum, ad illa non amplius mouentur aut trahuntur, quam irrationalia pecora visis pretiosis margaritis: qui tamen si videant aut legant, vel audiant abiecta quædam & terrena gaudia vel com-

moda; non ſecùs ad illa rapiuntur, quam iumétum ad ſtramina, fœnum vel auenã, nempè aſſuetum ſuum cibum. Quod malum ex peccato contingit. Accedente enim peccato, noſtra deſideria tam graui infirmitate diſſoluuntur, & appetitus ac volũtates noſtrę peruertuntur, vt veluti iam vix aliquid aliud amemus aut deſideramus, quam abiecta, damnoſa & vitioſa, obliuioni tradentes te bonũ infinitum, ad quod conditi ſimus, tanquam rem in qua iam gratum ſaporem non percipimus: Atque hinc prouenit animæ confuſio & perturbatio quam ſentimus, & per quam, bono relicto ſemper inclinamur ad malum.

Ex peccato in vetitũ nitimur abiecta concupiſcimus, &c.

Non ſapit infinitũ bonum.

Veruntamen etſi in nobis per peccatum contigerit tanta ægritudo, corruptio & infirmitas, non aufertur tamen ob id obligatio tendendi ad perfectionem, ad quam conditi ſumus, & ſeruiendi tibi prout à nobis exigis, & es ſuperdigniſſimus. Nam etſi ex hac infirmitate difficiliùs operêmur & ſequamur tuam voluntatem; poſſumus tamen, tua præueniente, comitante & ſubſequente gratia (quam dare nobis es paratiſsimus) illam ſequi & implere.

Peccati miſeria non eximit ab obligatione tẽdẽdi ad perfectionẽ.

Omnia poſſum in eo qui nos cõfortat

QVIBVS INSTRVMENTIS operari debeamus voluntatem Dei.

CAPVT V.

SVperamandissime & supercolendissime IESV, gratias tibi ago pro eo quod ad implendam & sequendam ex amore tuam voluntatem, dedisti nobis instrumenta commodissima: intellectum scilicet, quo te tuamque voluntatem cognoscamus, & voluntatē qua eam amemus & sequamur. Quæ tantæ perfectionis sunt, vt his absq; vlla corporis exercitatione, multa tibi gratissima obsequia præstare possimus: cum tamen corporalia opera ad modicum sint vtilia: nisi per intellectum & voluntatem ad bonum finem ordinentur.

Duo instrumēta accepimus ad implēdam Dei voluntatē.

Vt autem per intellectum & voluntatem perfectè operemur: da & fac ô bone IESV, ne vnquam noster intellectus in cognitione erret: nec voluntas à prosecutione boni, vel mali fuga, per intellectum cogniti, declinet. Cognitio enim rei, quam in intellectu habemus, est vice luminis quo voluntas videat quo pacto moueri debeat ad volendum. Nihil enim est volitum, nisi præcognitum.

Veruntamen multò aliter mouetur nostra voluntas, quàm naturalis noster appetitus sensitiuus.

Appetitus sensitiuus vt moueatur.

Hic enim naturaliter desiderat illud ad quod inclinatur, quodq; suaue ipsi videtur:

& ad hoc desiderandum non est ei opus alio incitante aut auxiliante: quin potiùs illud necessariò & quasi coactè desiderat. Non sic autem operatur voluntas: sed primùm consultat cũ ratione de eo quod occurrit. Cumque ei ostensum fuerit per intellectum hoc esse conueniens: tunc liberè mouetur vt illud velit. Quod si intellectus erret sicut frequẽter contingit ex passione vel malitia quę nos excoecat, aut impedit quo minùs quod habitu cognouimus, aduertamus actu) aut si nõ errante intellectu, voluntas per eã quam habet arbitri libertatem, nõ velit sequi quod nouit esse bonum, hinc incidimus in omne peccatum.

Quomodo moueatur voluntas.

Consultat cum rõne primum.

Intellectus operatione qualiter vtẽdum.

Da igitur, & fac bone IESV, vt intellectum nostrum in hoc continuè exerceamus: quatenus consideret & proponat voluntati, quæ bona sint amanda & prosequenda, & quæ mala odienda & fugienda: quo item fine, quo fructu & quibus conuenientioribus mediis ista fieri debeant.

Volũtas intellectũ non errantẽ sequi debet.

Voluntatem verò in hoc assuescamus & inclinemus: vt quæ intellectus non errans dictauerit: & quo fine ac modo dictauerit, esse volenda, vel recusanda: velimus & recusemus.

Qualiter ad ardua volũtas sit inclinanda.

Da insuper, vt quoties aliquod opus virtutis, aut quod ad virtutem nos disponit agere debemus: si illud est nobis graue, & ad operandũ difficile, statim operatio nostri intellectus accedat, per quam id quod graue nobis videtur, agnoscamus & apprehendamus tanquam rem pretiosissimam, & tibi domi-

no Deo noſtro gratiſſimam, nobiſq; ad obtinendam vitam æternam vtiliſſimam. Quatenus poſtquam illud tale eſſe conſiderauerimus, volũtas noſtra vires aſſumat ad illud volendum, & libenter pro tui amore proſequendum & implendum. Quamquam enim voluntas noſtra liberè operetur: frequenter tamen rei, quę offertur, difficultate aut aſperitate perterrita, omittit operari quod tibi gratum eſt & bonum, ſicque peccat. Si verò per intellectus operationem excitetur & iuuetur: vires aſſumit, vt cognita operis pœnalis excellentia, illud velit & capiat, tantaq; facilitate operetur, quanta id quod naturaliter exoptat.

Operandũ omni hora & loco inſtrumentis animæ.

Initia virtutis difficilia.

Vt igitur inter magnos amicos tuos & fideles ſeruos ac diſcipulos tuos computari, (ſicut vis, & quia vis) poſſimus: da bone IESV, & fac, vt cum omni diligentia & ſollicitudine omni hora & loco, quantum licuerit, his animæ inſtrumentis intellectu, ſcilicet, & voluntate operemur: Hoc enim efficere poſſumus omni tempore, & loco, ſiue occupati fuerimus corpore, ſiue non, adeò vt etiã cum alteri de temporali negotio ſumus colloquentes, poſſimus per animã tecum intus operari, te recogitando & amando. Et licèt iſtud graue & difficile ſit ei qui nondum eſt aſſecutus huius rei habitum: aſſuetudo tamen, tua gratia cooperante, illud tandem facilè efficiet: licèt talis conſuetudo obtineri non poſſit ſine labore, difficultate ac perſeuerantia. Da igitur bone IESV, & fac, vt toties per voluntatis noſtræ crebram incli-

natio-

nationem & exercitationem, vim quandam nobis inferamus: donec reddamur artifices & operarij induſtrij & prompti, ad multa, eaque grandia, cum facilitate, operandum, ad tuam gloriam. Quod ſi id non tentemus: non eſt quod admiremur, aut conquerentes dicamus, nos non poſſe eſſe magis deuotos. Cùm ſit in manu & poteſtate noſtra, (præſuppoſito diuino tuo auxilio, quod non denegas) quicquid nobis libuerit velle aut nolle, & quoties placuerit, vt infrà pleniùs dicetur: id enim quod in cœlos Sanctos tuos tanta gloria ſublimauit, eſt, quia aſſiduè omni hora & loco, inſtrumentis prædictis animæ benè ſunt operati: & huius exercitij defectus nos adeò reprehenſibiles & defectuoſos efficit.

Oportet conari viriliter.

Exercitatio coronauit Sãctos.

Da igitur & fac, vt his inſtrumentis duo hæc potiſſimùm exercitia frequentemus, & operemur.

Duo præcipuè operãda.

Primum, vt ante omne opus & motũ animæ & corporis, intentionem noſtrã Deiformiter dirigamus, ad tibi, vnico bono, & ſupremo fini noſtro, placendum, & ex amore gratum obſequium præſtandum.

Primũ, vt intẽtio Deiformis opꝰ præcedat.

Secundum, vt frequentatis actibus volũtatem noſtram inclinemus ad extirpandos habitus vitiorum, & plantandos atque aſſequendos habitus virtutum, & omnium tibi placitorum. In his enim duobus exercitiis fundatur & voluitur cæterorum, quæ agere vel fugere, & in quibus occupari debemus quæque hac Methodo continentur, praxis & exercitatio.

Secũdũ, vt actibus frequẽtibꝰ extirpẽtur vitia, & plantẽtur virtutes.

DE INTENTIONE Deiformi in omnibus habenda.

CAPVT VI.

Finis bonus ante omnia proponendus.

ANTE omnia da & fac, bone IESV, vt intellectus noster voluntati nostræ proponat bonum finem, propter quẽ velit aut recuset, quod occurrit volendum aut recusandum. Opus enim præcipuam bonitatem accipit à fine propter quem fit: qui si malus esset, etiam opus malum esset, quamuis ex se alioquin bonum foret. Et quantò finis melior est & nobilior: tãtò opus est nobilius ac perfectiùs. Cùm ergo tu Deus sis bonum infinitum: illud opus erit melius, quod puriùs factum fuerit tui solius intuitu, & propter tui amorem, tuæque voluntatis impletionem.

Deus est optimus & vltimus finis.

Da igitur & fac bone IESV, vt quicquid corpore aut anima operati fuerimus, quicquid cogitauerimus, desiderauerimus, aut loquuti fuerimus: id omne propterea faciamus, quia tu Deus vis vt illud operemur: & quatenùs id agentes, gratum tibi obsequium ex puro amore præstemus, ob tuam infinitam bonitatem: propter quam dignissimus es, cui sic ex amore seruiatur, absque proprij commodi intuitu. Sic vt in quocunq; operẽ quod operati fuerimus, nullum alium finem, qui ad operandum nos excitet & deducat, sentiamus: quam velle tibi Deo & domino no-

Propter Dei amorem & beneplacitũ omnia agenda.

ſtro placere,tuamq́; voluntatem perficere,& gratum tibi obſequium præſtare.

Quodammodò obliuiſcentes,aut ſaltem non aduertentes, nec pro fine intendentes, bonum & gloriam quæ ex hoc opere nobis prouenire poſſent: tuiq́ue ſolius memores, & ob ſolùm operari volentes,quia id cupis, id iubes:& non ſine magna cauſa ex ingenita bonitate tua id expetis. *Propriũ commodum nõ debemus intendere*

Da ergo & fac bone IESV,vt ſemper annitamur omnia noſtra opera operari: moti & excitati tam beato & ſublimi ſcopo, fine, ſiue motiuo, videlicet, vt tuæ ſatisfaciamus diuinæ & paternæ voluntati.Quæ noſtrę ſublimitatis, ex ſola ſua bonitate ſitientiſſima vult,& immenſo deſiderio cupit,nos ex motiuo prædicto operantes,ſublimare,& æternæ ſuæ gloriæ participes facere. Tuum ergo hoc noſtræ ſalutis deſiderium (ô Deus noſtri ſuperamantiſſime) ſemper nos moueat & efficiat,vt omnia opera noſtra,corporalia & ſpiritualia,magna & parua,voluntaria & neceſſaria,ſeu naturalia,ex hoc motiuo procedant.

Quod vt aſſequamur, da & fac bone IESV,vt in hoc potiſſimùm intẽti ſimus:ne vnquam de vno opere ad aliud tranſeamus,nec aliquod opus inchoemus, donec ſentiamus nos ad illud moueri, ex eo quod ſciamus aut exiſtimemus te velle vt id faciamus, & quia optemus tibi gratum obſequiũ, per tuæ voluntatis impletionem præſtare. Tu enim ex ingenita tua bonitate, immenſo iubilo & deſiderio cupis amari, & poſſideri à nobis *Quomodo omnia perpeßi ſimus pro pter Dei amorẽ agere.*

omnibus, & ad hoc assequendum, tu eadem voluntate optas, vt omni motu, quem quouis momento vitæ nostræ operamur, te amemus, & illum motum siue actum operemur attracti ab hoc tuo velle infinito, vt ei satisfaciamus, & ob immẽsum gaudium quod dignaris habere de nostro bono opere.

Quoties igitur voluerimus aliquid operari, aut quoties voluerimus orare, aut laborare pro obtinenda virtute aliqua aut gloria æterna: aut pro vitãdo peccato & gehenna, vel alio quolibet malo: & senserimus (vt fieri assolet) nos ad hæc desideranda & quærenda propter nostrũ commodum moueri, da & fac, bone IESV, vt non sistamus ibi, nec ea propter tale desiderium commodi nostri inchoemus: sed coniectis in te Deum nostrum oculis, consideremus an velis nos ista desiderare & quærere. Quo viso, credamus & attentiùs consideremus, quod tu Deus immensæ maiestatis & bonitatis sis dignissimus, cui ex amore seruiatur & obediatur, propter teipsum, tuique beneplaciti impletionem: ac propterea, omittentes primum illud motiuum, quo prædicta propter nos, commodumq́; nostrum desiderabamus, & quærebamus, & illius quodammodò immemores: iã incipiamus ea ipsa desiderare ac procurare, vt tuo immenso desiderio satisfaciamus, quo desideras, vis aut iubes, nos ista desiderare aut procurare, & per hæc ducis tibi præstari obsequium, ac si illa admodum tibi essent necessaria. Si quidem longè magis necessarius & sublimis ac perfectus est finis,

ideò

ideo operari ista quia tu vis, vt ea operemur, & propter tuam bonitatem, quæ nos inuitat ad te amandum, & tibi iuxta tuum beneplacitum seruiēdum: quàm vt gloriam aut aliud bonum nobis acquiramus: Præsertim cùm non aliter optare debeamus possidere bonū aliquod, aut gloriam, quam quia tu Deus cupis illa nos desiderare & habere, quatenùs illa nos habentes, te perfectiùs amemus, tibiq́ue sublimiori modo seruiamus & placeamus, non autem propter nostrum commodū aut gaudium.

Est autem tanta tua bonitas ac magnificentia, quod quantò ampliùs hoc modo, taliq́ue intentione concupiuerimus, & operati fuerimus: tantò ampliùs merebimur, tantoq́ue maior erit gloria & beatitudo nostra. Qualiter autem sic possimus desideriū commodi nostri omittere & commutare in desiderium: tuam voluntatem perficiendi, & tuo desiderio satisfaciendi: sequenti exemplo apertiùs percipi potest.

Simile quo docetur qualiter omisso proprij cōmodi respectu pro solo Dei amore et volūtate omnia operemur.

Est quispiam Aegrotus, qui sanitatis recuperandæ gratia cibum aliquem sibi expetit, & opere ipso procurat. Interim cōtingit singularem quendam amicum huius ægrotātis, maiori premi ęgritudine, eodemq; cibo magis egere.

Cuius amore, prior ille ægrotans, veluti suæ qualiscunque ægritudinis immemor: ac desiderij quod ad cibum sui ipsius gratia habebat oblitus, incipit eundem cibum desiderare ac procurare, non iam sibi sed illi suo amico: adeò vt amor ad amicum efficiat, vt

cibum illum expetat & requirat, quatenùs non iam suæ sed amici necessitati & desiderio satisfaciat, tanquàm oblitus quòd ipsemet illo egeat: ita vt cùm per varia discurrens, cibum illum exquirit: sentiat in animo quoddam desiderium feruere, illum acquirendi pro suo amico: deinde cùm eundem cibum inuenerit: gaudet ex eo quod iam explebitur voluntas & necessitas sui amici. Sic igitur da nobis, bone IESV, & fac, vt quando voluntas nostra mouebitur ad cupiẽdum & quærendum aliquam virtutem aut gloriã: consideremus quo fine moueamur, & videbimus vt plurimum nos amore nostræ vtilitatis moueri. Tunc cogitemus & consideremus, quod tu singularis & præcipuus amicus noster, multò ampliori desiderio cupis nos hanc virtutem & gloriam habere quàm ipsi eam desideremus, quasi admodum tibi esset necessaria. Quod prouenit ex nimia tua bonitate, qua desideras per hanc virtutem & gloriam teipsum nobis communicare, nosq; sublimes & beatos efficere. Et ideo exemplo illius ægrotantis, omittẽtes desiderium quo ista pro nostra vtilitate cupiebamus, iam incipiamus ea desiderare & procurare, nõ nobis, sed tibi Deo & amico nostro supremo: hoc est, non vt nostræ satisfaciamus cupiditati: sed tuæ volũtati & desiderio, quo optas vt ista desideremus & procuremus.

Applicatio similitudinis.

Iustum sanè est, vt suprema voluntas tua, quæ omnes creauit & conseruat voluntates, eam habeat præeminentiam, & dominium in omnes voluntates, vt non solùm obediant

tibi

tibi in omni quòd mandaueris: verùm etiam vt quicquid egerimus, illud faciamus, vt in hoc, diuina tua voluntas perfectè adimpleatur, absque vllo alio respectu: tanquam obliti de adimplenda nostra voluntate & adipiscenda nostra gloria.

Opus propter Dei amorem, & beneplacitum factum: cætera omnia alio quocunque fine facta incomparabiliter præcellit.

O quàm viles reputari debemus, qui cùm habeamus tuam voluntatem semper præsentem, per quam ad omnia opera nostra moueamur: omittimus operari hoc supercœlesti motiuo, & contenti sumus operari ex naturali, vel rationali desiderio, licèt bono & virtuoso: præsertim cùm inter hæc motiua tantum sit discrimen, vt nulla mundi res tantùm ab alia quauis differre valeat, quantum vnum horũ differt ab alio. Illud enim quod ex desiderio adimplendæ tuæ volũtatis procedit, alterum incomparabiliter excedit.

Et opus infinitum, hoc motiuo factũ, maioris est dignitatis & meriti coram oculis diuinæ tuæ maiestatis, quàm supremum opus absque tali motiuo præstitum. Vnde comedere hoc motiuo, vt tuæ voluntati satisfiat, maioris est coram te meriti, quàm ieiunare, aut asperis castigationibus sanguinem effundere, absque hoc motiuo, sed sumpto alio fine, licet nõ malo, nempè intentione euadendi pœnas gehennæ, aut possidendi æternam gloriam.

Qualiter habitus omnia propter

Vt ergo, bone IESV, tibi perfectè placeamus, & inter præcipuos amicos & seruos tuos computemur: da & fac vt iugi studio conemur, & frequẽtibus & validis volẽdi actibus curemus plantare & acquirere in anima

Deum operandi, sit acquirendus.

noſtra habitum, omnia propter te tuæq́; voluntatis adimpletionem inchoandi & operandi, nullũ alium ſcopum finalẽ nobis proponentes, quàm vt gratum tibi præſtemus obſequium, & vt tuum gaudium in nobis ſit, quo dignaris gaudere de noſtris obſequijs tibi ex amore præſtitis, iuxta tuam volũtatem & beneplacitum.

Porrò nullus modus tibi ſeruiendi adeò gratus eſt, quàm vt deſideremus, omnibus noſtris viribus interioribus & exterioribus, quicquid ſumus, aut poſſumus, effundere, in tui obſequiũ gratiſſimum: ſic vt in quocunque opere noſtro, nullum ſentiamus alium finem, qui nos ad operandum moueat, quàm velle tibi placere, & rem tibi gratam facere. Deſiderare tuum diuinum amorem, quia in eo noſtra perfectio cõſiſtit: Magno zelo ferri ad ſalutem animarum: eſurire iuſtitiam, lugere mala quæ fiunt in hoc mundo: etſi bona ſint exercitia: poſſunt tamen plurimum à perfectione deficere, niſi fiant motiuo prædicto; nimirum eo quod tu vis non iſta facere, & vt tibi gratum exhibeamus obſequium. Adeò enim voluntas tua in noſtra regnare debet, vt iam nihil ex noſtra ſola oriatur, ſed ex tua.

Nõ debemus ob difficultatẽ retardari ab exerci-

Quòd ſi magnam ſenſerimus difficultatem volentes ex hoc tam ſublimi motiuo operari omnia, & aſſequi habitum omnia propter te ex amore volendi & operandi: multiſq́; fortaſſe diebus viderimus nos nondum plenè id aſſecutos: da & fac, bone IESV, vt non propterea deijciamur animo, nec remit-

tamus conatum & studium, sed aduertamus plures mundanos, etiam diutiùs laborare, vt re viles acquirant, quas tandem frequenter non assequuntur. Nos autem donum hoc, & eximium operãdi modum pro certo à te obtinebimus: si illum ex intima humilitate petamus, & omni studio procuremus, perseuerantes in totum quæ dicta sunt, & dicentur, exercitatione. Et sicut inchoantibus in qualibet arte, principia vidẽtur valdè difficilia, adeò vt vix sperent se assecuturos quod inchoant: sed tamen in eius exercitio perseuerantes, efficiuntur magistri, & ad operandũ ista promptissimi: sic per continuum exercitium omnia propter te volendi & inchoandi: tandem habitum acquiremus: quo acquisito, id erit nobis facillimum & suauissimum.

tio omnia propter Deum operandi.

Simile.

Quod si sub initijs huius exercitij contingat nobis aliqua tepiditas, & sentiamus nos frigidiùs operari, quando prædicto motiuo, & propter te solum volumus aliquid operari. Da bone IESV & fac, vt inde non turbemur, nec propterea ab hoc studio desistamus: sed intelligamus huius nostrę tepiditatis causam esse, quod iam non operamur ob nostrũ proprium bonum, sicut antea solebamus operari, & sicut nobis est naturale: Nunc autem operantes ex solo tuo amore diuino, à nobis remouemus radicẽ, vnde cõmuniter ac naturaliter solet nobis obuenire omne gaudium, omittẽtes scilicet proprium nostrũ bonum & requiem, & alienũ bonum pro fine & motiuo assumentes, & pro requie

Tepiditas à prædicto exercitio nos non debet reuocare.

laborum nostrorum: nempè tuam gloriam, tuæque voluntatis adimpletionem, quę cùm res sit supernaturalis, nobisq; adeò insolita, non mirum si magnum sentiamus laborem, & difficultatem, in assumendo hoc supernaturali motiuo, & relinquendo proprio & naturali. Tamen postquàm multum assueti fuerimus per frequentes & validos actus voluntatis, æstimare, appreciare, sentire, amare, longeque plus facere tuam diuinam gloriã, quàm nostram: eamque longè magis pro nostra ducere, quàm nostram propriam, tanquàm rem quam magis amamus. Cùm inquã hoc probè adepti fuerimus, pertingemus ad ignem qui tepiditatem aut frigiditaté nescit nec recipit, & insuper longè maius erit meritum nostrum.

Cur sacra scriptura pœnas & præmia nobis proponat.

Quod autem sacra scriptura & Euangelica doctrina non videtur continuè hunc supernaturalem finem nobis proponere, cùm aliquid admonet, iubet, aut prohibet: sed vt plurimum pœnas comminatur, aut inuitat promissione gloriæ: ex eo procedit, quod quemadmodum tu Dei filius, Dominus, ac Redemptor noster, cùm in teipso esses perfectissimus, frequenter tamen in tua persona suscepisti ea quæ fragilitatis aut infirmitatis nostræ erant, quatenùs nostræ fragilitati condescéderes (sicut quãdo fugisti & te occultasti, quando, quasi mortem metuens, cœpisti pauere & tædere, aliaque similia:) ita voluisti, vt tua euangelica doctrina, talibus verbis scriberetur, qualia requirebat nostra abiecta conditio, & fragilitas operan-

tium,

tium, qui magna ex parte mouẽdi & incitan-
dierant ad operandum spe gloriæ, aut metu
pœnæ, supposita post peccatũ humana cor-
ruptione.

Simul tamen annotare debemus, quod si-
cut tu Redẽptor noster illas imperfectiones
cum summa charitate & perfectione susce-
pisti: ita vir perfectus, doctrinam tuam Euan
gelicam suscipiet, & iuxta illam operabitur
cum summa perfectione. Motus quidem mi-
nis ac promissionibus quæ in illa continen
tur, & nihilominùs assumens sublimem illũ
finem & scopum, omnia agendo primò, &
principaliter, propter te tuæque voluntati
adimpletionem. Nam cùm tu in Euangelio
dicis (nisi pœnitentiam egeritis, omnes si
mul peribitis:) duo considerari possunt in
hac tua comminatione: primum est pœna &
perditio, quam comminaris negligentibus
pœnitere. Alterum, voluntas tua, qua vis vt
pœniteamus & non pereamus, verus ergo &
perfectus tuus seruus, huic tuo pręcepto pœ
nitendi obediet, non eo fine vt pœnam eua-
dat, sed vt volũtatem tuam impleat, qua cu
pis & vis vt pœniteat, & non pereat.

Qualiter metus pœnarum, & spes præmij propter Deum sint assumenda.

Sic apparet sacram tuam scripturam con-
tinere summam perfectionem: etiamsi simul
habeat quod infirmitatis & fragilitatis esse
videtur: quatenùs per hoc fragilibus seruiat,
eosq; moueat ad operandum, prout eorum
fragilitas expostulat.

Sacra scriptura & perfectis, & imperfectis consulit.

Quod autem in hunc modum intelligen-
da, & recipienda sint sacri tui Euangelij
promissa, & comminationes: satis ostendi-

tur

tur ex primo illo maximoque mandato omnibus proposito, quo pręcipis vt te Deũ amemus ex toto corde nostro, & ex tota mente nostra, & ex tota anima nostra, atque ex omnibus viribus: quod non satis implemus, nisi expendamus omnes vires nostras ad hoc, vt tibi propter te seruiamus: nec aliter pœnam gehennæ abominemur, vel desideremus gloriam cœlestẽ, nisi hoc fine & mortuo, vt voluntati tuæ & desiderio satisfaciamus, quo cupis nos illam abominari & fugere, hãc verò desiderare & assequi, ad tuam gloriam & obsequium. Siquidem seruiendo tibi, & euadendo pœnam æternam, cœlestemque gloriam adipiscendo: eò peruenimus, vt perfectè adimpleamus summum illud de tuo diuino amore præceptum: quòd semper trãsgrederemur, transmissi ad pœnam æternam, vbi nullus confitebitur tibi.

Da ergo & fac bone IESV, vt hîc interim cor nostrum adeò sit in te fixum, vt nihil appetamus, nisi quod ad te nos adducat, nihilque metuamus, nisi quòd à te nos abducat: nihil cupiamus aut refugiamus, nisi id quod vis, vt appetamus aut metuamus, & quia vis sic à nobis fieri, vt sic tuo desiderio & voluntati ex amore satisfaciamus & obediamus propter tuã bonitatem, qua es super dignissimus sic amari & seruiri.

QVID PER VOLVNTATEM possimus operari, gratia Dei cooperante.

CAP. VII.

PRAESVPPOSITO (ô Deus superliberalissime) diuinæ tuæ gratiæ auxilio (sine quo nec cogitare quicquã boni possumus, multò minus velle & operari, & quod nobis facientibus quod in nostra est potestate, non denega‹t.) Præsupposito, (inquam hoc tuo auxilio: est in libertate nostri liberi arbitrij, & in potestate voluntatis nostræ, quamlibet rem, quæ iudicata fuerit appetenda, vel non appetenda appetere, aut nõ appetere seu recusare, idque hoc aut illo fine, & toties quoties libuerit in die, aut breuiori temporis spacio.

Liberũ est nobis velle vel nolle hoc vel illud, & hoc vel illo fine.

¶ *Hoc documentum, cum sequenti plurimum notandum est ac plenè cognoscendum ac exercendum, tanquàm præcipuum fundamentum omnium quæ in hac Methodo dicenda sunt, & totius vitæ spiritualis.*

Difficultas volendi aliquid propter Deum quomodo superanda.

ET quamuis ob malos habitus in anima nostra longa cõsuetudine profundè radicatos, corruptamque naturam: frequenter nobis difficilè videatur appetere bonũ, aut recusare malum, vel assumere finem supernaturalem, agẽdo omnia propter te tuiq; amo-

rem & tuæ voluntatis impletionem, relicto naturali fine & appetitu nostræ vtilitatis & propriæ quæsitionis; Nihilominùs id tãdem situm est in nostra potestate, tua cooperante gratia: etiamsi initio tam debiles actus volendi aut nolendi producamus, vt videantur nec esse (appetere) nec (non appetere:) sed paulatim maiorem vim accipiunt, & etiam cùm adeò debiles iudicantur, nõ paruum afferunt animæ meritum.

Simile. Sicut eñim prima Grammatices principia aggredienti, videbitur nihil propemodum effectum esse, si vnicũ nomen discat per casus inflectere: attamen si alterũ & tertium, & ita paulatim addiscat: in fine anni loquetur ac intelliget ferè omnia, longeq; magis per secundum annum, & ita paulatim perfectus grammaticus efficietur. Sic si perseuerauerimus in exercitio inclinandi voluntatem nostram ad quælibet bona appetenda, & quælibet mala recusanda, prout tu vis, & quia vis: tandem assequemur habitus virtutũ. Et cùm talis grammaticæ studiosus quolibet die det grammaticæ operam, idq; multis horis, magno conatu ac studio memoriæ suæ & intellectus, alioquin non proficeret. Certè multò magis id facere necessarium est in hac arte præcipua, qua addiscimus tibi summo Deo, & Domino nostro seruire: ad quod nõ vnius: sed multarũ virtutũ habitus acquirere oportet. Nempè habitũ charitatis erga te Deum, & erga proximum, maximè erga inimicum: humilitatis, patientiæ, abstinentiæ, & aliarũ virtutum: quorum habituum quilibet, plus

exi-

exigit temporis, quàm vt quis grammaticus efficiatur, ex eo quod in anima nostra radicati sunt alij habitus, his multum contrarij: quod non contingit in eo qui grammaticæ, aut alteri arti dat operam.

QVA RATIONE ET ARTE habitus mali ex anima eradicandi, & boni plantandi sint.

CAP. VIII.

SICVT æger potionem salubrem, quã naturaliter horret propter eius amaritudinem: appetit & voluntariè sumit propter sanitatem recuperandam: sic nos opprobria, penurias & alias cruces, quas naturaliter horremus, possumus & debemus appetere & voluntariè sumere, considerantes & intelligentes tibi Deo & Domino nostro gratũ esse, nobisq; vtilissimum, vt talia appetamus & suscipiamus. Huiusmodi cõsideratione, & ex desiderio faciendi quod tibi gratũ est: debemus inclinare nostram voluntatem, & vim quandam ei facere, vt talia appetat. Et licèt dum volumus talia appetere, sentiamus in nobis quandã sensualitatis repugnantiam; dicimur tamẽ verè talia appetere, sicut æger verè pro suæ sanitatis desiderio appetit, & instanter quærit & potionem sumere, licèt non tollatur eius horror secundùm naturalem appetitum.

Simile quo docemur dura appetere & suauia recusare.

Similiter honores, diuitias, voluptates, & similia, quæ naturaliter appetimus, possumus & debemus non appetere, sed recusare, considerantes non esse tibi gratum (ô Deus superamandissime) nec nobis salutare, vt talia appetamus, sic enim ex desiderio faciendi quod vis, inclinamus, & quodammodò cogimus voluntatem nostram, vt talia non appetat, sed recuset; sicut æger cibum, cuius sentit in se inordinatum appetitum, nõ vult comedere, quando considerat eum esse sibi nociuum.

Cõtinuo studio & frequentibus actibus exercenda volũtas ad nolẽdum mala, suauia, & appetendũ bona difficilia.

Da igitur & fac bone IESV, vt continuo studio exerceamus voluntatem nostram ad volendum pro tui amore, & desiderandum bona quantumuis ardua, quæ tu vis nos desiderare, ad recusandum mala, & quæ tu vis, vt non appetamus. Quintò enim sæpiùs voluntatem nostram ad hæc inclinauerimus, tantò citiùs vitiosos habitus corrumpemus, & virtuosos acquiremus. Et præter hoc, ex singulis huiusmodi voluntatis nostræ inclinationibus & actionibus, pro tui amore factis, singulare meritum obtinebimus.

Primi motus vitiorũ sunt cohibẽdi.

Ante omnia da & fac bone IESV, vt solliciti simus primos motus vitiorum cohibere, quibus sæpiùs agitamur, aut in quibus longius destinemur, seu interdum consentimus, licèt tales motus versentur in materia peccati venialis (quemadmodum delectari, vt in aliqua æstimatione sint dicta & facta nostra, vel amicorum nostrorum: aut contristari de iniurijs nobis, aut amicis nostris illatis) in quibus etsi nos detineri aut con-

sentire non sit mortale peccatum, magnũ tamen damnum affert, quia inde anima nostra obtũditur, & aggrauatur ad omnia quæ propter te (Deus) sunt agenda.

Vt ergo bone IESV, simus, sicut vis, nostrorum actuum semper Domini, & potẽtes ad operandum facilè quæ tibi sunt placita: da & fac, vt huiusmodi primis motibus, statim per contrarium voluntatis actum resistamus, inclinando voluntatem nostram ad appetẽdum propter te iniurias, labores, molestias, & quascunq; alias cruces quæ sese offerunt, & per talem voluntatis actũm & inclinationẽ aduersando dolori, qui primo motu sese nobis offert ob huiusmodi cruces.

Clauis nostri profectus consistit in cohibendis primis motibus vitiosis & qualiter sint cohibẽdi.

Similiter quoties sese nobis offerunt honores, voluptates, hominumq́ue fauores, & alia delectabilia, quibus statim se adiungit motus complacentiæ propriæ nostræ voluntatis: da & fac, bone IESV, vt solliciti & parati simus, statim inclinare voluntatẽ nostram ad ea non appetendũ, & eo quod tu vis, vt ea non appetamus, & vt ea non appetendo, gratum obsequium tibi præstemus, siquidem ita agendo vanitatem, & peccatum euitabimus: sæpiusq́ue id repetendo, obtinebimus excellentes habitus virtutum, malis expulsis, in quo consistit clauis nostræ reparationis.

Ex frequentioribus aut vehementioribus actibus habitus citiùs acquiruntur, aut extirpantur.

Cæterùm quò vehementiores fuerint actus, quos producit nostra voluntas, ac frequentiores, eò citiùs acquiremus bonos habitus. Sicut contingere, solet inter duos æqualis ingenij, quod vnus eorum plùs profi-

cit vnius anni ſpacio, quàm alter duobus: eò quod prior totis viribus ſtudio incubuerit: alter verò parùm laborauerit.

Actus vehemens vti ſit producendus.

Actum autem vehementem ſeu intenſum producimus: quãdo occurrente virtutis obiecto, propriæ noſtræ voluntati contrario, ſtatim voluntatem noſtram fortiter inclinamus, vt illud velit propter te bone IESV.

Verbi gratia: ſi nobis inferatur aliqua iniuria, non præcogitata à nobis (ad quam nos nunquàm præparauimus cogitando, quid acturi eſſemus, ſi talis iniuria nobis inferretur) ſi tunc ſtatim fortiter voluntatem inclinemus, vt propter te in tantum talem iniuriam appetat, quòd etiam illam ſuſcipiens gaudeat, ex eo quod gratum tibi offert obſequium; & proprium appetitum tibi contrarium mortificat & reprimit: tũc eſt actus intenſus voluntatis.

Similiter, ſi oblato nobis honore, ſtatim fortiter inclinamus voluntatem ad huius auerſionem, & recuſationem, quia id vis, & quia huiuſmodi honor eſt obſtaculum deiectioni, quæ via eſt ad humilitatem, quam tantoperè in nobis amas & deſideras, eſt actus vehemens.

Ex paucis actibus vehementibus habitus poteſt acquiri.

Huiuſmodi autem actus vehementes ſunt tantæ efficaciæ, quòd pauci tales producerent in nobis excellentem habitum patientiæ & humilitatis; quanquàm regulari curſu habitus producantur ex multis actibus.

Da igitur & fac, ô bone IESV, vt hos actus vehementes producamus, quoties eorum occaſio offertur.

Super omnia exigit nostra fragilitas, vt magna vi laboremus in vitiorum radicibus extirpandis. Vitiorum autem radicem dici mus, quãtumuis paruam inclinationem, per quam moueri nos sentimus ad aliquem pec cati affectum. Porrò sicut radices plantarum profundiùs radicatarum, nõ vno, aut altero seu tertio tractu euelluntur, sed pluries fre quentatis tractibus: sic quantumuis in altum plantatæ sint in cordibus nostris radices vi tiorum frequentatis tamen actibus bonæ vo luntatis, tua gratia: (Bone IESV) adiutæ & roboratæ, tandem extirpabuntur.

Vitiorũ radices vt sint eradicandæ.

Simile.

QVALITER AD HABItus virtutum assequendos, intellectus operatio debeat voluntatis actum adiuuare.

CAP. IX.

CVM habitus virtutum & vitiorum sint in animn infixi: actus etiã quibus pro duci aut eradicari debent, principaliter fiunt animæ instrumentis, licèt interdum sumant auxilium ab eo, quod est corporale. Si ergo habitum alicuius virtutis assequi volumus: expedit vt per intellectum nostrum frequenter consideremus, magnum illius virtutis bonum, & nostram volũtatem inclinemus, vt pro tui more (bone IESV,) actus

Intellectus debet proponere volũtati bonũ virtutis.

actus virtutis illius appetat, quia ad hoc tu nos adhortaris, & exemplo tuo inuitas. Verbi gratia.

Patientiæ habitus qualiter acquirendus.

Vt habitum patientiæ acquiramus, hæc seruemus. Offeramus sæpiùs cogitationi nostri intellectus, quid acturi essemus, si hæc aut illa iniuria (nempè quàm plurimùm horremus) nobis inferretur. Tunc subitò, ex malo in nobis habitu, occurret animo quidam horror huius iniuriæ: quem vt repellamus, da, vt statim reducamus in memoriam fructus, qui ex tolerantia iniuriarum propter te (Deus) nobis proueniunt. Sicque ex tui amore & talium fructuum desiderio voluntatem nostram constringamus ad huiusmodi iniuriam appetendam: nec desinamus ad hoc nosipsos constringere, etiamsi videatur totum esse coactum: semper enim aliquid voluntarij inest. Et si pluries huiusmodi actus produxerimus: crescet id quod parum voluntarium ab initio videbatur, & assuescemus iniuriam voluntariè sufferre, sicque plantabitur in nobis patiẽtiæ habitus. Quod si sola iniuriæ præcogitatione, fabricari potest patientiæ habitus: longè citiùs ac meliùs parabitur, si opere ipso talis iniuria nobis inferatur, modo statim compellamus voluntatem nostram ad eam cum gaudio, pro tui amore (bone Iesu) acceptandam.

Nam actus volũtatis præsentem iniuriam acceptantis, vehemẽtior est, & magis domat animam: quàm multi actus voluntatis acceptantis iniuriam, sola cogitatione oblatam. Pauci autem vehementes actus fortiùs & ef-

fica-

ficacius operantur ad producendum habitū; quam multi remissi.

Vt ergò, sicut vis, & quia vis, bone IESV, inter præcipuos & fideles seruos & discipulos tuos simus: Da & fac vt optemus nobis offerri, & exultemus dum offeruntur ea, quibus per huiusmodi vehementes actus possumus efficaciùs assequi virtutum habitus: verbi gratia, dum offeruntur nobis iniuriæ, contemptus & aliæ cruces, per quarum acceptationem & hilarem pro tui amore tolerantiam, gratissimum tibi obsequium præstamus: tibi pro nobis passo cōformamur: peccata nostra castigamus, priuatum amorem & vitia in nobis mortificamus: ac in amore tuo cæterisque virtutibus proficimus, & reliquos tribulationis fructus percipimus.

Si fideles Christi discipuli esse volumus: debemus optare & cum gaudio suscipere quælibet dura & aduersa.

Et quia bonum est ex integra causa: Da & fac, bone IESV, vt sic vnius virtutis actibus insistamus; vt tamen cæteras virtutes amemus, & quando occasio offertur, earum actus exerceamus. Neque enim tu acceptas nostrū ad vnam virtutem studium & laborem, cum desidia ad aliam.

Quā sit efficax & necessariū documētū prædictum de eradicādis malis habitibus & plantandis bonis.

¶ *Documentum supradictum de eradicandis malis habitibus & plantandis bonis: tantæ est virtutis vt ipsum solum sufficiat ad tradendum nobis rationem ac modum operandi virtutes, etiamsi omnis alia ratio & modus ignoretur. Est autem adeò necessarium vt sciatur ac plenè intelligatur & exerceatur, quam necessarium est vt cognoscatur & habeatur fundamentum ad quoduis forte & stabile ædificium. Vanum enim esset*

ſperare via ordinaria virtutum ſublimitatem aſſequi, abſque modo hic tradito: Et ob huius defectum plerique multum in virtutum exercitio laborarunt, & parum aſſecuti ſunt, quemadmodum in plurimis mundi rebus accidit, dum ordo debitus non ſeruatur.

QVOD NVNQVAM debemus præſumere certò nos eſſe in gratia.

CAPVT X.

Non debemus certò præſumere quod ſimus in Dei gratia, ex eo quod virtutū habitus fuerimus aſſecuti.

QVANTVMVIS eximios virtutum habitus aſſecuti fuerimus, bone IESV, nō tamen ob id certò ſcire poſſumus, nos diuinam tuam gratiam aſſecutos: Quæ etſi certò à te nobis detur, dum habemus & exercemus quæ in hac Methodo traduntur: Nunquam tamen naturaliter ſcire poſſumus, quādo hæc habeamus eo modo quo tu vis nos illa habere: & ita certi eſſe nequimus nos eſſe in gratia tua.

Præcipuum ſignum, quod ſimus in Dei gratia.

Præcipuum autem ſignum quod hanc tuam gratiam habeamus eſt: quando cor noſtrum, non ampliùs extollitur aut gaudet de virtutibus quarum habitus iam aſſecuti ſumus, quàm gauderet de aliorum hominum virtutibus, ſed pro vtriſque te Deum (cuius eſt omne bonum) æqualiter benedicit, ac de vtriſque æqualiter gaudet ob tuam laudem & gloriam, quæ in vtriſque æqualiter mani-

festatur. Quod vtinam in nobis sicut vis perficias, bone IESV, ad tuam gloriam & omnium salutem, Amen.

PARS SECVNDA METHODI.

QVIBVS MODIS ET EXercitiis strages animæ sit reparanda.

CAPVT I.

REPARATOR & Saluator noster bone IESV, vt per tuam gratiam & studiosam exercitationẽ, stragem animarum nostrarum reparare possimus: da & fac, vt in primis peccatum omne ab anima nostra extirpare studeamus per cõtritionem veram & odij nostri exercitationẽ: ne cum aliquod obsequium prestare tibi cupimus, sit in nobis aliquid quod tuæ maiestatis oculos offendat.

Deinde annitamur animam nostram adornare bonis virtutum habitibus, quibus in tuo obsequio gratiores inueniamur: idq́ue per orationis studium impetremus à te, & pluribactibus virtutum acquirere nitamur, affectionesq́; nostras, scilicet gaudium & tristitiam spem & timorem, fræno quodam retineamus, & prudenter ac cautè ducamus. In his enim animæ nostræ reparatio consistit.

Possemus autem per gratiam tuam, in prædictis virtutũ actibus & habitibus sic proficere: quòd eam propemodum obtineremus facilitatem ad benè operandũ cum magna delectatione, quam in statu innocentiæ habuissemus: sicut credimus nonnullos sanctorum obtinuisse.

DE CONTRITIONE.

CAPVT II.

Vt gratũ Deo seruitiũ offeramus priùs à peccatis purgari debemus. Contritio vera cum proposito confitendi delet peccata.

CVM nos multis proditionibus & offensis, te dominum summæ maiestatis & bonitatis, hactenus offenderimus: si tibi gratum obsequium prǽstare & seruire volumus: æquum & necessarium est, vt initio petamus à te nobis prædictas offensas ignosci: atque ad id obtinendum tendamus eo modo, qui facilius nos in tuam gratiam & amicitiam restituat.

Porrò licet sit tanta peccati malitia, vt ad eius deletionem non sufficiant ex se dolor & lachrymæ omniũ qui in mundo sunt, ne dum vnius hominis: tanta tamen est tua (ô Deus misericordissime) clementia & bonitas: vt contentus sis, dummodò vnumquemque nostrum, ex sincero corde ac propter te pœniteat suorum delictorum. Quicquid enim reliquum est ad complendum remedium, tu ex parte tua supples, nempe grâtiam tuam tribuendo, per quam vbi hunc dolorem de nostris contra te proditionib. & offensis ex in-

timo corde habuerimus, cum proposito confitendi & dignos pœnitentiæ fructus faciendi, statim peccata nostra delentur, & ante oculos tuos obliuioni traduntur.

Gratiam verò tuam pro certo tribuis his, qui se tibi morigeros exhibuerint.

Contritio vera qualiter sit habenda.

Vt aũt nostra contritio tibi placita, & nobis multũ fructuosa sit: da & fac, bone IESV, vt doleamus primò & principaliter, quia tu vis & iubes, nec sine magna causa expetis à nobis, vt de nostris erga te offensis doleamus. Vt igitur huic tuo desiderio & volũtati obediamus ex amore filiali, gratumq; tibi obsequium præstemus: hũc dolorem assumamus.

Deinde, doleamus quod te adeò bonum dominum, (qui dignissimus es, cui ab omnibus ex amore seruiatur & nunquam offendaris) toties offendimus; ita quòd magis nos pungat tui offensa, quam omnia incommoda quę nobis ex peccato prouenire possent: tuaque voluntas & bonitas super omnia nos moueat ad delenda fletibus nostra peccata: quatenùs illis deletis, gratum tuæ maiestati præstemus obsequium.

Qualiter sit dolendum, de damnis quæ ex peccato nobis proueniunt, & quæ nã illa sint.

De damnis verò & malis quæ per peccatum incurrimus, eatenus doleamus, quatenùs nos impediunt à tuo seruitio & gratissimo obsequio.

Atque in primis doleamus de eo quod peccando perdidimus te bonum prorsus infinitum: quòd amisimus gratiam & amicitiam tuam, in qua cunctæ diuitiæ nostrę consistũt: quòd facti sumus tui inimici, diaboli serui, & sub peccato captiui: quòd meruimus ęterna tu-

na tua gloria priuari,& inferni pœnis in æternum deputari, nisi per pœnitentiam deleuerimus peccata antequam moriamur: deinde quod innumera alia mala, aut iam incurrimus, aut incurrere meruimus, quæ cognoscere poterit etiam nihil legens, is, qui multis diebus sua peccata ex animo defleuerit: & quæ non percipiet, etiamsi legat ea in libris, is, qui ea non defleuerit.

Et iustè sanè tanta mala debentur ei qui te offendit (bone IESV) cum peccando proditionem commiserit, contra te supremũ Deũ ac dominũ, qui mori voluisti, vt nobis vitam tribueres.

Vt ergò, sicut vis & quia vis, in hac sancta contritione proficiamus, da & fac bone IESV, vt sequenti arte & methodo procedamus.

Modus quo ad contritionem nos excitare debemus.

In primis per intellectus operationem repræsentemus voluntati nostræ prædictas dolendi causas. Deinde voluntatem nostrã inclinemus, & frequentibus eius actibus compellamus, vt velit te Deum non fuisse à se offensum, nec peccatum commissum: sed vt doleat, aut saltem velit dolere te fuisse offensum, gratiam tuã amissam, & cætera mala incursa, quatenus nos impediunt à præstando tibi grato & debito obsequio.

Curemus autem huiusmodi actus voluntatis dolentis frequenter producere. Nunc in genere de omni peccato, nunc ab vnâ peccati specie ad aliam speciem discurrendo: idque maximo quo possumus conatu ad sentiẽdum tristitiam. Et licet sensibilem non vi-

deamur habere dolorem, non tamen propterea ceſſemus, nec deſperantes deficiamus ab hoc conatu: quia talis dolor ſenſibilis non eſt in manu noſtra, imò nec neceſſarius eſt, licet ſit ſanctus. Tu autem (in cuius manu eſt illum tribuere) opportuno tempore & modo dabis illum nobis, ſi frequẽter eum quem inuenire & habere poterimus, aſſumamus.

In hoc dolore contritionis debet, vt minimum, vno aut altero menſe verſari is, qui ritè vult incipere tibi Domino Deo ſeruire.

DE ODIO SVI.

CAPVT III.

SECVNDVM, quod requiritur ad expulſionem corruptionis vitioſorum habituũ qui ſunt in anima noſtra, & quod prę omnibus exercitiis plurimum habet momenti, quò perueniatur ad tuum ô ſuperamandiſſime Deus) ſyncerum amorẽ, per quem tibi optimè iuxta tuum beneplacitũ ſeruitur: Eſt ipſum noſtri odium & abnegatio proprij ſenſus propriæq; volũtatis. Nam ex proprio ſenſu noſtro & noſtri inordinato amore, ſeu propria voluntate, omnia mala nobis proueniũt à quibus gignuntur peruerſi habitus. Vnde ceſſante ad ingreſſum ſancti odij, propria noſtra voluntate & noſtri amore inordinato, tolletur omne peccatum, omniſq; malus habitus eradicabitur.

Odium noſtri eſt neceſſariũ ad aſſequendũ Dei amorem

Ex amore proprio omnia peccata procedunt.

Vt ergò ad hoc ſanctum noſtri odium ordina-

Octo rationes quibus debeamus nos ipsos odio habere.

dinate & efficaciter excitemur: da & fac bone IESV, vt primo & principaliter ob id nos odio habeamus, & abnegemus, quia id vis & iubes in Euangelio dicens: Qui non odit animam suam, nõ potest meus esse discipulus, & rursus: Si quis vult post me venire: abneget semetipsum. Vt ergò ex amore obediamus huic tuæ voluntati, conemur nosmetipsos odio habere & abnegare.

Secundò, vt conformemur tibi, bone IESV, & imitemur exemplum quod nobis reliquisti: dum innocentissimum corpus tuum voluisti ideò tam durè tractare, vt ad hoc odium nostri instrueres, excitares & adiuuares.

Tertiò, vt iustitiæ tuæ satisfaciamus, quæ exigit vt per odium nostri nos ipsos castigemus, delectabilia nobis subtrahendo & dura amplectendo: eo quòd per nostri amorem delectabilia sectando, & dura fugiendo te offendimus, prodidimus, irritauimus, & in nobis te occidimus ac crucifiximus.

Quartò, vt priuatum amorem & vitia omnia per hoc odium mortificemus, & eorum habitus eradicemus.

Quintò, vt verum amorem tui, per quẽ tibi optimè seruire possumus, assequamur, & virtutum habitus acquiramus: ad quod istud nostri odium, plurimum momenti habet.

Sextò, vt quantò perfectiùs anima per hoc odium fuerit euacuata nostri amore; tantò sublimius teipso, tuique amore impleatur.

Septimò, vt quantò instantiùs sensualia desi-

desideria & proprias voluntates per hoc o-
dium abnegauerimus, tantò perfectiùs, tua
sublimis voluntas. Bone IESV, domina &
Regina nostra, regnet in nobis: nosque to-
tos possideat, & in omnibus iuxta supre-
mum suum beneplacitum dirigat & perfi
ciat: In quo summa sublimatio, perfectio &
beatitudo nostra consistit: quam tu ex infi
nita bonitate tua nobis optas: & quam, non
propter commodum nostrum, sed propter
te, & vt huic tuo desiderio satisfaciamus, ti-
bique gratissimo modo seruiamus, debemus
desiderare.

Octauò vt per hoc odium omne malum,
omnemque defectum boni vitemus, quia vis
& sicut vis. Quicquid enim mali in nobis est,
& omnis defectus boni ac virtutis: ex ea par-
te nobis prouenit, qua nos ipsos non odi-
mus, nec propriam voluntatem abnegamus,
& diuinæ tuæ voluntati subdimus, rem ali-
quam amantes & volentes, vel recusantes
contra tuam voluntatem, tuaque præcepta
& consilia.

Propter prędicta omnia, quæ tibi sunt gra
tissima, & quæ tu vis nos desiderare & pro-
curare, & maximè vt in his omnibus satisfa-
ciamus tuo infinitæ nostræ salutis desiderio,
tuæque voluntati obsequentes, gratum tibi
præstemus obsequium: debemus & volumus
ac per gratiã tuam proponimus firmiter nos
ipsos odio habere & abnegare.

Modus quo nosmetipsos odio

Quod vt modo tibi placito fiat, da & fac,
bone IESV, vt nihil prorsus quod nos de-
lectare possit velimus, desideremus, aut assu

mamus

habere debemus. mamus, præter id quod ſine tui offenſa omittere non poſſumus, quin deſideremus aut aſſumamus. Et hoc etiam cum ea ratione ſumamus: vt, conſiderantes quàm indigni ſimus omni delectatione, ob peccata noſtra doleamus, quod cogimur illam admittere: Quia tamen & quatenùs tibi placitum eſt vt illam ſumamus, eatenus eam cũ gaudio admittamus propter te.

Modus ſumẽdi delectabilia neceſſaria Cùm ergo voluerimus aliquod delectabile ſumere (puta cibum, ſomnum, vel ſimilia ad vitam neceſſaria & vtilia) da & fac bone IESV, vt nunquam illud deſideremus aut ſumamus propter noſtram conſolationem, ſeu vt noſtro appetitui ſatisfaciamus: immò antequam illud acceptemus, firma voluntate tecum ſtatuamus, & coram te profiteamur quòd id nequaquam admitteremus niſi tu velles nos illud ſumere. Et vt firmam hanc voluntatem aſſequamur: da vt frequentibus actibus volendi voluntatem noſtram, etiam ſi appetitus ſenſualis recalcitret, compellamus & inclinemus ad recuſandum iſtud delectabile, niſi tu velles id à nobis ſumi.

Signum quo cognoſcimus nos ſumere delectabilia dũtaxat propter Deum. In hoc aũt cognoſcemus nos talem habere voluntatem, quando de his rebus delectabilibus tantùm, & eo modo aſſumemus, quãtùm putauerimus te velle vt aſſumamus.

Quia igitur tu bone IESV vis, vt cibum ſumamus tam in quantitate, quàm in qualitate, ſicut noſtrę ſanitati ac confortationi ad tibi ſeruiendum eſt neceſſarium & vtile; Da & fac, vt tantam duntaxat cibi quantitatem ſumamus, quantam verè & non fictè ſenſeri-

mus

mus esse nobis necessariam, ad hoc vt simus magis dispositi & fortes in tuo seruitio, & in his quæ ad statum & officium nostrum pertinent.

Quam quantitatem & mensuram, da nobis agnoscere & colligere ex propria experientia deuotæ orationi coniuncta. Quando scilicet te consulentes & obsecrãtes, pro debita mensura agnoscenda, experimur per talis mensuræ sumptionem nos in tuo seruitio alacres inueniri.

Cibus in quali quantitate sumẽdus.

Circa qualitatem verò cibi, da & fac bone IESV, vt totis viribus curemus omnem saporem suauẽ reiicere, nisi quẽ putauerimus te velle à nobis sumi ad remedium nostræ debilitatis, vel commodioris digestionis, vel fugæ singularitatis.

Quæ qualitas in cibo quærenda.

Et quia in his & similibus frequenter nimius nostri amor nobis imponit, nosq; decipit: rariùs autem odium nostri: da & fac bone IESV, vt in his semper aliquid minùs accipiamus, quã quod nostro appetitui etiam necessarium videtur, salua semper discretione & obedientia.

Et ne in his fallamur, aut nimiùm perplexi aut scrupulosi simus: da, vt si sub obediẽtia viuimus, in hoc sequamur consilium superioris aut patris spiritualis, quem si non habemus, & nimis in hoc fluctuamus, alicuius te timentis consilio stemus: aut certè eam mensuram & quantitatem, quam præmissa oratione, & matura tecum (ô Deus) deliberatione nobis constituerimus & proposuerimus, simpliciter, fideliter & constanter sumamus

mamus & seruemus, propter te, secundùm te, per te, & tecum.

Ad odiũ nostri assequendũ debemus omnes cruces desiderare & amare.

Præter ea quæ dicta sunt, vt in hoc sancto odio exerceamur & proficiamus; Da etiam & fac bone IESV, vt omnes abiectiones, contemptus, penurias, pœnalitates, labores, subiectiones, tristitias, & cruces alias desideremus, assumamus, & vt nobis ab aliis (modò id fiat sine tui offensa) inferantur, optemus, quas possumus absque tuæ voluntatis transgressione, desiderare & assumere: & quę non sunt nobis occasio alicuius damni spiritualis vel temporalis nociui.

Da igitur & fac, bone IESV, vt libenter, & cum gaudio suscipiamus & toleremus omnes cruces seu tribulationes, quascunque consulueris, vt per nos assumamus, vel per temetipsum nobis immiseris, vel permiseris ab aliis, etiam malitiosè, nobis inferri. Tu enim vis, vt omnes istas cruces occurrentes libenter & cum gaudio acceptemus, & toleremus pro tui amore, & pro assequendis fructibus prædictis ex odio nostri, & eius exercitio prouenientibus.

Discretio in sui odio valdè necessaria.

Et, ne in hac crucis cuiuslibet assumptione & delectabilium subtractione fallamur da nobis bone IESV, veram discretionem & cautelam ad hoc summè necessariam: ad quã assequendam consilium personarum discretione, & vita probatarum quæramus, & humiliter ac fideliter sequamur.

Continuum etiam metum habeamus, ne omni spiritui credentes, sub specie boni fallamur, & in his aut excedamus, aut deficiamus

mus. Super omnia autem plurimùm lucis adfert lumen spiritus tui, bone IESV, quod certissimè das his, qui cum humilitate ad illud suscipiendum præparati sunt.

Da insuper superamandissime IESV, vt tui amore relinquentes omnia superflua delectabilia, & amplectentes quamcumque volueris molestiam, in hoc valdè intenti simus, vt ista faciendo, gaudeamus: existimantes magnum à te nobis impendi beneficium, quando huiusmodi molestiæ seu aduersitates, & priuationes rerum delectabilium, immò & necessariarum, ab alio aliquo nobis contingunt, quòd nostræ voluntati grauiùs esse solet, quam dum nos ipsi talia voluntariè assumimus, maximè dum is, qui talia nobis infert, nostro iudicio id facit indiscreta aut malitiosa intentione, quod tamen absque manifestis indiciis iudicare non debemus, & nec tunc quidem firma determinatione.

Cũ gaudio debemus cruces amplecti, & voluptates fugere.

Cùm hoc ergo accidit, da & fac, vt doleamus quidem plurimùm de culpa nos persequentis, cordialiter illum amando, tanquam personam à qua singulare beneficium accipimus: Et nihilominùs considerantes rationes ob quas nos debemus odio habere, frequentissimis & fortibus actibus voluntatem nostram inclinemus ad cupiendum, & cum gaudio acceptandum hujusmodi vilipẽsionem ac persecutionem, quæ ab alio quantumuis malitiosè, nobis infertur.

Qualiter iniuriam ab altero malitiosè illatam debeamus cũ gaudio suscipere.

Hæc enim agentes ditabimur sancto odio nostri, quod toties tamq; studiosè nobis

com-

commendas in Euangelio,& quod tu pręceptor summus proprio exemplo nos docuisti. Quamuis enim tua sanctissima anima nullum habuerit vulnus peccati, & ita non necesse haberes corpus tuum pretiosum asperitate odij tractare: voluisti tamen ad nostrũ exemplum, vilipendere quicquid erat delectabile,& cõsentire, vt præ omnibus corpus tuum malè tractaretur, & duriùs affligeretur, nobis exemplum relinquens, vt sequamur vestigia tua.

Cùm ergo tu Deus tantæ maiestatis, ac Dominus noster, propter peccata nostra,& ad doctrinam nostram (vt tuo exemplo ad hoc nos induceres) tantas volueris subire & perpeti pœnas, vilipensiones & persecutiones: nunquid nos abiecto omni pudore te deseremus, nec solum actu non feremus in tui obsequium vllam pœnam aut iniuriam, sed nec voluntatem ferendi habebimus? nec hoc meditabimur aut desiderabimus, immò nec volemus, vt de ea re quisquã nobis loquatur? Absit à nobis tanta ingratitudo,& inertia irrisione dignissima.

Simile quo docetur verũ nõ esse discipulũ Christi, aut religiosum, qui non

Sicut enim ridiculũ esset, si quis Theologiæ studiosus dici cuperet, aut haberi Theologus, qui nec eo studio occuparetur, nec vel illud scire cuperet: ita ridiculum esset, nos velle seruos tuos & discipulos tuos reputari,& in religiosa congregatione (quæ schola virtutum est) viuere & morari, & tamen nõ cupere aut procurare, vt hoc sanctum odium nostri obtineamus,& habeamus: maximè cũ te & semper præsentem habeamus tam eximium

mium & potentem magistrum, qui verbo & exemplo illud nos doces.

studet seipsum odio habere.

Et certè ad hoc sancti odij studium, hoc vnum sufficientissimè nos excitare deberet, quod per illud te tam sublimem præceptorem Dei omnipotentis filium ac Dominum nostrum imitamur, tibique similes efficimur.

Magno enim amore & desiderio (etiam absque vlla alia ratione) debemus illo itinere ambulare, quo tu pro nobis dignatus es ambulare: cum certi simus nec te posse errare in via, nec tibi deesse post viam terminum summæ gloriæ.

Minuta desideria, vana, aut vitiosa, debemus incessanter reprimere

Vt autem perfectiùs & pleniùs istud odiũ nostri assequi valeamus: da & fac, vt continuè & incessanter persequamur innumera minuta quædam nostra desideria, quæ si aduertere volumus, videbimus singulis momẽtis occurrere. Modus autem persequendi iste debet esse, in morem eorum qui potentem aduersarium conantur ex insidiis adoriri.

Da igitur & fac, vt magna circunspectione aduertamus, num fortassis aliquid desideremus quod tibi minùs placeat, nec ad te ducat, & statim, vt senserimus nos tale aliquid cupere, subitò inclinemus voluntatem nostram, vt illi contradicat, nec acceptet. Quãdo autem viderimus aliquid nobis displicẽs contingere, statim voluntatem inclinemus, vt hoc cupiat.

¶ *Hoc exercitium licèt prima facie lectum, videatur parui momenti, maximi tamen pretij illud esse, expe-*

rientia

rientia docet. Si quis enim illud frequentauerit: longè citiùs hoc sanctum sui odium obtinebit, & magnum sui dominium; maxima igitur diligentia legi debet hoc documentum, & in opus deduci. Certò enim certiùs est, hic quandam clauem contineri ad istud odium assequendum, & ad alia multa, quæ plurimùm faciant ad perfectionem summam.

.. debeamus cupere, vt omnes, nos odio habeant.

Supercolendissime Deus, cum peccando fuerimus contra te proditores, æquum est, vt omnem nobis possibilem tibi exhibeamus satisfactionem. Porrò cum magna, iuxta peccatorum nostrorum malitiam, debeat fieri satisfactio, & nos paruam vix præstare possimus: saltem ob id nosipsos odio habere debemus, & cupere, vt omnes, (quantum absque peccato possunt) nos odio habeant, quatenùs vel sic tibi aliquo modo satisfaciamus. Verè autem peccando maximam contra te proditionem committimus, quia rursus te in nobis crucifigimus, & mortem tibi Domino nostro inferimus, seu vitam à te auferimus. Tu enim (quamdiu absque peccato viuimus) viuis in nobis quadam spirituali vita, qua animas nostras viuificas, & in illis opera vitæ operaris: quam vitam peccando amittimus, & ea te priuamus. Quod quantũ sit malum, quodve mala includat, quis dignè ponderet?

Peccando sumus Christi proditores et occisores.

Da igitur, ô bone IESV, & infunde cordibus nostris hoc tam sanctum & necessariũ nostri odiũ: ob hoc etiã potissimũ, vt anima nostra euacuata nostri amore, tui amore impleatur quantũ tibi gratũ fuerit. Tua verò bo-

Euacuati proprio amore impleatur

nitas tãta est, vt nequaquã patiaris nos nostri amore euacuatos non repleri tui amore.

Dei amore.

Quo fine debeamus nos ipsos odio habere.

Da ergo & fac, vt perfectè oderimus omnia nostra sensualia desideria: quatenùs regnet in nobis nostraque voluntate tua sublimis voluntas. In quo consistit summa sublimitas quàm hic habere possumus.

Itaque ob tui reuerentiam, & ob infinitũ tuum desiderium quo ex tua bonitate nostrã expetis sublimitatem, item ob naturale desiderium, quo nos vniuersi, summum bonum appetimus: Da, vt non simus in hoc odij nostri exercitio negligentes, sed innumeros scrutemur cuniculos, ac subtiles modos, sanctè nos ipsos odio habẽdi, quò tantas ac perpetuas obtineamus diuitias.

Magno desiderio debemus optare ab alijs affligi.

Quum autem animi nostri tepor nõ permittat, vt nosmetipsos tam durè tractemus, sicut deberemus: da, & fac (bone IESV) vt saltem cupiamus, & magno desiderio consentiamus, ab aliis persecutionem pati.

Neque enim aliud est persecutio, quàm officina, aut malleus, quo tollitur ab anima nostra rubigo & scoria, aut cauterium, quo aufertur proprij amoris venenum, per quod exulcerati sumus, & ab omni bono abstracti: vt ablata huiusmodi exulceratione, operari possimus summum opus tuum (ô Deus) quod est amor tui ipsius.

Da igitur & fac, vt summè exultemus, dum ab aliquo iniuriis, calumniis, aut aliis malis afficimur, & magno erga te, & erga persecutorem nostrum amore flagrantes exclamemus. Vnde hoc mihi, vt in terra ha-

beam, qui à me ita auferat animæ meæ exulcerationem & infectionem, sitq; mihi occasio, vt summis apud te diter diuitiis, ô Deus opulentissime?

Nonne si corpore vulneratus essem, summæ fœlicitatis loco reputarem incidisse in chirurgum, qui vulnera mea curaret, licèt nõ sine acerbissimis punctionibus?

Certum est autem longè fœliciùs esse, incidisse in societatem eius, qui præter rationẽ malè nos excipiat, idque quo indigemus auferat. Nam si hoc tui amore voluntariè amplectimur & toleramus, à mortifero nostri proprij amoris veneno sani reddimur.

O beatum eum qui hoc senserit ac desiderauerit, & continuo ac efficaci studio procurauerit? O beatiorem adhuc, qui dum se in huiusmodi persecutionis conflictu positum viderit, amaros illius haustus deuorauerit, quatenus tuum amorem (ô Deus) assequi & possidere valeat?

O longè fœlicissimum eum, qui longo exercitio adeò directus est in huius suauissimi odij magnitudinem, vt licèt ob naturalem inclinationem, talis persecutio magnã secum afferat pœnam: ardens tamen desiderium crescendi in tuo diuino amore, illã ei in tantam conuertat dulcedinem, quantam secum adferre solet, id quod magno desiderio longè ante concupiuimus.

Modus efficacior assequendi odium sui ipsius.

Et quia istud odiũ res est adeò extra vsum naturalem, doce nos (bone IESV) adhuc efficaciorem huius odij assequendi rationem.

Da igitur & fac, vt tempore quo volumus

inclinare voluntatem nostram ad expetendam vel acceptandam persecutionem, non proponamus ante oculos nostros ipsam persecutionem, compellendo voluntatem, vt eam acceptet (admodum enim difficile esset ipsam per se consideratam persecutionem, cum præsens aut adhuc recens est, voluntariè vel spontaneè acceptare, nisi spiritus sancti vnctione præuenti essemus) sed hoc modo agamus, & hac cautela sancta vtamur. Nempè cum præsens est aut vicina iniuria, illius quantum in nobis est, ad breue temporis spatium, obliuiscamur, & hoc temporis interuallo, attentiùs consideremus innumeras diuitias, quæ in tuo diuino amore (ô bone IESV) continentur, & immensos fructus prouenientes ex amorosa tolerantia persecutionis, & hac consideratione voluntatem nostram inclinemus ad desiderandũ has tui amoris diuitias, & persecutionis fructus: sicque horum amore & desiderio voluntatem nostram inflammatam & conuertamus & inclinemus, ad acceptandã præsentem persecutionem ad hæc obtinenda bona prorsus necessariam, (præsupposito enim diuino auxilio, possumus liberè quamcumque rem expetere.) Hac ratione voluntas nostra inflammata & roborata præmio amoris tui, & fructu persecutionis, promptissima erit, vt inclinetur, & trahatur ad acceptandam huiusmodi persecutionem, quàm prius horrebat. Si igitur aliquoties sic nos exercuerimus, id quod antea supra naturam esse videbatur, iã grata delectatione peragemus.

¶ Hoc quod nunc est in modum artis & Methodi traditum, multùm habet momenti ad assequendum odium nostri, & humilitatem, & ad tolerandum quamuis difficultatem aut laborem interiorem & exteriorem qui nobis occurrerit; ad vniuersam denique hanc Methodum seruiendi Deo.

Odio nos habẽtes verè nos amamus.

Da bone IESV, vt ſicut dictum eſt, noſipſos odio habeamus. Sic enim & non aliter, noſipſos verè, vtiliter, glorioſè, & ſicut vis, amabimus, deſiderantes & procurantes nobis tuum amorem & virtutem, & cœleſtem gloriam, & omnia quæ ad illam nos perducunt: & auferendo à nobis affectum & conſenſum cuiuſcunque vitij, quantumcunque ſimus ad illud inclinati.

DE TRIBVS QVAE neceſſaria ſunt ad ornandam animam.

CAPVT IIII.

In quibus conſiſtit ornatus animæ.

QVONIAM animæ noſtræ ornatus & perfectio, in hoc conſiſtit, bone IESV, vt conformes habeamus appetitus noſtros naturales cum ratione, & diuinis tuis legibus, quod fit per virtutum quandam congeriem, dum quæque virtus in anima noſtra ſuo loco ſita, illam reddit decoram & dirigit, mitigando falſas malasq; concupiſcentias, quæ illi ex peccato adhęſerant,

& disponendo eam vt absque vlla contradictione tuæ diuinæ voluntati seruiat, & gratum obsequium exhibeat: hoc autem nostras humanas vires nimiũ fragiles excedit. Propterea vt hunc ornatum habere possimus, da & fac, vt in his tribus ad hoc necessariis continuè occupemur & exerceamur.

Primò, in oratione, per quam auxilium ad hoc necessarium à te potentiore postulemus.

Secundò, vt pluribus actibus voluntatis, tãquam materia, fabricemus, & acquiramus habitus virtutum, præsertim humilitatis & patientiæ.

Tertiò, vt veluti fræno retineamus, aut cautè ducamus affectus nostros naturales, scilicet:

Gaudium, tristitiam, spem, & timorem.

DE ORATIONE.

CAPVT V.

AMANS congratulor tibi superamandissime IESV, & gratias ago pro eo quòd ad supernaturalia bona nos creans, voluisti supernaturali tuo auxilio nos egere. Voluisti etiam vt illud à te postularemus: non quin magis cupias illud nobis dare, quã cupiamus id à te accipere: sed vt maiore cum gloria possideamus illud, quod maiori obtinuerimus conatu & labore id expetendi, & orationis merito quodammodò ef-

Cur De⁹ velit nos ipsũ orando bona impetrare.

ficiamur merentes, id quod petimus, petendo vti debemus.

Orationis fructus. Deinde vt tanquam importuni petitores frequentiùs nos ipsos præsentemus ante te Dominum omniũ bonorum largitorẽ, sicq; perueniamus in maiorem tuæ maiestatis & bonitatis notitiam, tantoq; ampliùs exultemus in te, tuisq; diuitiis, teque ampliùs amemus, & quicquid tu non es, aut in te non tendit, nihili reputemus: peccatumq; omne oderimus, & virtutem omnem amplectamur, & ad te propinquiùs accedamus.

Oratio ad impetrandũ Dei amorem, & cætera bona efficacissima. Ex quibus clarè constat, orationem esse certum iter ad obtinendum quicquid est nobis necessarium, & ad pertingendum ad sublimem tui amorem.

Imò verò ipsam orationem, & quam habemus orandi necessitatem, existimare debemus pignus, quod tu Deus habere voluisti, quo nos apud te retineres.

Certò enim noueras, quãtum boni ex tui præsentia nobis accedat: & quam certa futura esset apud nos tui obliuio, si tuo auxilio non indigeremus.

Quo motiuo & fine debeamus omnia petere, videlicet quia Deus vult nos Et quoniam orationis excellentia, vt sit plurimùm meritoria & imperatoria, nõ tam in eo consistit, vt quod petimus sit quoddam eximium; quam vt ex sublimi motiuo & scopo moueamur adorandum: da & fac, vt ad orandum te, semper moueamur sequenti motiuo: videlicet,

Vt credamus, aut certè existimemus, te velle nos habere quod petimus, & velle etiã vt illud à te petamus: quatenus mediãte no-

stra

ſtra oratione, illud quodammodò promereamur, & illud obtinendo, magis diſpoſiti ſimus ad tuum obſequium. Talis enim animi in orando ſemper eſſe debemus, vt ſi non putaremus tibi gratum eſſe nos obtinere quod multum deſideramus, protinùs, quantum in nobis eſſet, illud nec deſideraremus, nec peteremus.

ea petere.

Famelicus, vt plurimùm, fame qua premitur, mouetur ad petendum panem: Nos verò illum ob id petamus, quia vis vt illũ à te petendo obtineamus, quatenus eo ſuſtentati, creſcamus in amore & obſequio tuo (ô Deus ſupercolendiſſime.

Qualiter pro virtutibus & gloria orare debeamus

Da inſuper, vt gratiã, virtutes & gloriam nõ ob id potiſſimùm à te petamus, quod his indigeamũs, & hęc vtilia nobis ſint: ſed quia tu Deus ac dominus noſter ſummè cupis vt hæc habeamus, noſtram duntaxat petitionem expectans, vt ea nobis tribuas: adeò vt tua voluntas, qua cupis nos iſta habere magis nos moueat ad ea deſideranda & petenda, quàm gaudium & commodum, quæ ſperamus ex his nobis prouentura:

Habit⁹ orandi cum optimo motiuo vt ſit acquirendus.

Da igitur, vt innumeris actibus volendi, habitum aſſequamur optandi ſupra aliud quodcunque, quicquid tu Deus vis nos optare: non potiſſimùm ob bonum noſtrum, ſed quia vis, & vt voluntas tua impleatur, quæ digniſſima eſt vt ſupra omne appetibile appetatur. Sicque tali habitu aſſecuto quicquid à te petierimus, immixtum atque intextum ſit huic habitui: ſingula quoque verba precationum noſtrarum, adiuncta ſint actibus

 volen-

volendi seu desiderandi quod petimus, ob id quod vis & cupis vt illud habeamus, quò gratiores tibi efficiamur, maiorique amore gratum tibi obsequium præstemus.

¶ *Beatus qui sic orauerit. Nam intra paucos dies in virum euadet validum, fortem ac potentem in domino. Sed multi, etiam qui spirituales sibi videntur, non ita orant. Nam licèt optent & petant virtutem, & gratiam ad bonum finem, agnoscentes etiam suam abiectionem et Dei liberalitatem: sentiant quoque in sua petitione gustus dulcedinis diuinique amoris: bonaque sit & deuota eorum oratio, non tamen est perfecta, quia etsi petant amantes Deum, & cum Dei timore, non tamen petunt ex amore Dei, sed ex amore rei concupitæ. Vt autem perfectum sit motiuum orationis, non sufficit vt is qui orat, amet Deum, & cum fide, humilitate ac perseuerantia petat gratiam, ac virtutes, & similia bona, sed necesse est etiam, vt ad hæc petenda moueatur ex Dei amore, & non ex amore rei concupitæ: quamuis tamen & amor illius rei concupitæ seruari possit cum magna perfectione & merito: dummodò ad hoc ametur, quia Deus vult, vt illam amemus.*

Orandũ non tantum cũ amore Dei, sed ex amore.

Da igitur & fac (ô superamandissime & supercolendissime IESV) vt omnia à te petamus, non solùm cum amore tui teq; amantes sed etiam ex tuiipsius amore: hoc est vt orantes percipiamus actu in nobis desideriũ obtinendi id quod postulamus, quia tu vis nos illud petẽdo obtinere, ad hoc vt per illud gratius tibi obsequium præstemus: & vt tu gaudeas videre nos eo bono ornatos: & nos in tuo amore crescamus.

Itaque

Itaque quando petierimus à te peccata nobis ignosci, & de illis doluerimus: da & fac, vt ad hoc magis nos moueat dolor, ex eo quod videmus in anima nostra esse aliquid quòd te offendat: & desiderium videndi illam mundam, quatenùs gratum tibi præstet obsequium: quàm displicentia, quæ inde oriri solet, quòd videamus nos esse incompositos & alienatos à spirituali consolatione, aut ob quemuis timorem pœnarũ peccatis nostris debitarum.

Qualiter & cur debeamus petere peccata nobis ignosci.

Denique da & fac, vt quoties petierimus à te, laborem aut dolorem, aut malũ aliquod euadere: sentiamus in corde nostro desiderium talia euadẽdi, non potissimùm ob pœnam quæ in illis sentitur, sed ne sint nobis impedimentũ tibi seruiendi; habentes promptam & non fictam voluntatem, quòd si tu quouis modo aut tempore, cuperes nos talẽ pœnam patiendo, tibi obsequium præstare, nos quoque eam pœnam pro tui amore acceptaremus, & hæc voluntatis tuæ adimpletio in huius pœnæ tolerantia, esset nobis exultatio, gaudentibus quod gratum à nobis inde susciperes obsequium. Pari modo da & fac, vt bonum omne quod à te petimus, nõ ob nostri consolationem potissimùm petamus, sed vt quia vis & sicut vis illud obtinentes, gratiùs tibi obsequiũ præstemus, & in amore tuo crescamus.

Quo modo & motiuo debeamus orare pro liberatione à malis.

Quo modo petẽda sint bona.

Da bone IESV, vt si inchoantes nos exercere in hoc motiuo orandi tam sublimi, senserimus nostræ deuotionis gustum & suauitatem multùm minui; non terreamur, sed viriliter

Nõ cessandum omnia petere, quia

Deus vult, etiamsi nullā in hoc deuotionē sentiamus.

riliter hoc tam meritorium & sublime exercitium prosequamur. Nam etiam sentientes huiusmodi tepiditatem, longè ampliùs merebimur, quàm dū alio motiuo orantes, maiorem suauitatē sentiebamus. Illa enim suauitas ex nostri amore, quanquàm non malo, oriebatur: qui tamen relinquendus est, vt toti dediti simus tuo diuino amori, qui sublimior est. Crescente autem tuo in nobis amore, crescet & purior suauitas.

Amor erga Deum qualiter confirmandus.

Veruntamen cùm amor, quem erga te Deum habemus, sit adeò tepidus, & fragilis, & frigidus; fortificari hunc oportet, multis validis actibus voluntatis, eique succurrendum est earum rerum consideratione, quæ nobis dulces esse solent: nempè consideratione magni illius boni, gloriæ & consolationis quæ nobis prouētura speramus: & ingentium malorum quæ euademus: vt sic huiusmodi nostri amoris flatibus, modica flamma nostri erga te amoris vires & incrementum accipiat: donec tui solius amor, tam vehemens sit, vt absque nostri commodi consideratiōe, magna propter te operetur & patiatur, sicut anteà operabatur coniunctus noster amori, qui magis erat vehemens ac dulcis.

Hoc autem nobis procurandum est tam diù, donec tantam sentiamus suauitatem, dū à nostris angustijs liberari petimus eo fine, vt tibi Deo meliùs seruiamus, quàm sentire solemus, dum idem petimus inducti, vt liberemur à malo quod nos premit.

Ad hoc obtinendum da & fac bone IESV,

vt dum oramus, admodùm in hoc attendamus (donec tali orandi modo aſſueti & habituati ſimus) vt in noſtris ſingulis poſtulationibus diſquiramus, vtrùm ad petendum id quod petimus moueat nos tui amor, an verò rei petitæ dilectio & vtilitas. Neque vllo modo progrediamur ex vna poſtulatione, ad aliam donec voluntatem inclinauerimus, vt quod petit, acceptet ea ratione, qua tu Deus vis vt illud petamus, & in hoc tibi ſeruiamus. Si enim in hoc fuerimus negligentes, nulla ſpes relinquitur noſtri incrementi in bono habitu orandi.

Modus acquirēdi habitum orandi cū fine perfecto.

Si ergo petimus, vt nomen tuum ſanctificetur, id eſt, habeatur à nobis in æſtimatione & amore, abſq; vlla terrenæ rei mixtura, quæ cum illo ametur, nõ contenti ſimus hoc ideo petere, quod inde boni & beati efficiamur, ſed vlteriùs procedentes, inclinemus voluntatem noſtram ad illud deſiderandum, quia tu vis nos hoc petere: & quia dignissimus es, qui ſolus in cordibus noſtris æſtimeris & ameris, abſque vlla commixtione amoris noſtri, aut alterius terrenæ rei: & quia ad hoc nos tu creaſti. Neque vllo modo tranſeamus ad aliam petitionem, niſi obtento hoc motiuo. Meminerimus etiam implere quod dixiſti: oportet ſemper orare & non deficere.

Luc. 18.

DE VIRTVTIBVS HVmilitatis & patientiæ ex paſſione domini hauriendis.

CAP. VI.

O FONS ſapientiæ IESV Chriſte, magiſtrorum optime, quia dixiſti: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Da quod iubes, & fac, vt à te filio Dei, homine facto, longiſſimam hanc breuitatem (in qua latet plenitudo ſapientiæ) humilitatis & patientiæ addiſcamus, idque maximè à ſacratiſſima paſſione tua, quæ, veluti aurifodina nobis data eſt à te Patre clementiſſimo: te per deuotam eius meditationẽ plenis manibus colligere valeamus, ſemperque videre & audire eminentiam cuiuſlibet virtutis, præſertim harum duarum, humilitatis, ſcilicet, & patientiæ.

DE HVMILITATE.

CAP. VII.

Modus acquirendæ humilitatis.

HVMILLIMÈ IESV, vt quia vis & ſicut vis, humilitatem, omnis boni fundamẽtum à te addiſcam & exerceam. Da & fac vt clariſſimè videam & conſiderem.

Primò, quod ex me quicquam non habeo, præterquàm nihil.

Secundò, quodq; omne quod aliquid est, tu ipse Deus es.

Tertiò, quod cùm ita sit, da vt omnis cogitatio mea, omnesq; vires meę ad hoc intendantur, vt omnib⁹ modis, tu (cuius est omne id quod aliquid est) magnificeris.

Quartò, da etiam vt (cùm humilitas nihil aliud exigat quàm quod suũ est), ego optem vniuersum mundum me tractare ac æstimare pro eo quod sum, hoc est, tanquàm nihil, sic vt hominum corda nec vel breuissimo quidem spacio occupentur, æstimando me alicuius esse pretij, cùm re vera nihil sim, aut certè sim vas iniquitatũ, quod peius est quàm nihil.

Quintò, cupiam insuper, vt qui malis me afficiunt ac despiciunt, ac quicunq; id vidēt, existiment me non ex humilitate ea sufferre, sed quòd illa euitare nequeam.

Sic vt cupiam ab alijs haberi vilis & abiectus, non autem humilis siue modesti animi.

Optem inquam, taliter ab alijs vilis haberi, & vt abiectus tractari, quòd etiam optem eos opinari, esse omninò contra meã voluntatem, quòd sic tracter, méque admodùm ægrè ferre, & multùm indignari, quòd taliter æstimer, & ita mecum agatur: cùm tamen in rei veritate inde glorier, ob sanctum mei ipsius odium, & tuæ voluntatis impletionem.

¶ *Clauis humilitatis consistit in hoc, vt ea quæ hic postulata sunt, multis bonæ considerationis actibus in corde nostro figamus, & firma habeamus.*

¶ *Est tamen aduertendum, quòd si quis tam esset sublimis virtutis, vt nullam sibi vim inferens, posset optare vt omnes ipsum vilem, & non humilem æstimarent (iuxta modum hic declaratum) talis ad proximorum ædificationem cupere posset, vt opinarentur, quòd huiusmodi iniurias cum gaudio, non renuente voluntate sustineret, sed Dei & humilitatis amore; essetque ea humilitas heroica: qualem habuit dominus noster IESVS Christus, quã vult vt ab eo discamus cùm dicit:*

Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Quomodo exẽplo humilitatis Christi, acquirẽda sit humilitas.

Humilissime IESV, vt à te veram humilitatem addiscam, da & fac, vt quemadmodum rudes in arte aliqua discenda, aut pingendi adhuc imperiti, coram oculis habere solent exemplar, quod discendo imitari cupiunt: sic ego tuam inexplicabilem humilitatem ob oculos mihi semper proponam.

Considerem ergo attentiùs, & amorosis oculis cordis aspiciam: quod tu cùm esses Deus infinitus, & homo perfectissimus, voluisti, & cum magno gaudio elegisti, æstimari pro re minima, imò propemodùm nulla, & pro tali tractari, varijsque iniurijs, contumelijs & vituperijs, à die quo natus es, vsque ad ignominiosissimæ mortis tuæ horam affici; non quòd hæc tibi necessaria essent, sed vt nos (quibus tanta horum erat necessitas) disceremus à te modum nos humiliandi, qui in prædictis consistit.

Quàm ergo reprehensibilis ero, si tantam humilitatem non addiscam & arripiam, quã

tu tantus magister exhibuisti & exercuisti in teipso, licèt non pro teipso, sed vt ego & cæteri homines illam à te disceremus.

Cùm itaque tu Dei filius ac Dominus noster, nihil meritus, consenseris ac cupiueris tam vilis & abiectus (cùm esses bonum infinitum) ęstimari, & vt talis tractari, ad nostrũ exemplum: da & fac vt tui amore & imitatione, tuo dono & merito, mea vilitas & abiectio cupiat magno cum gaudio, & (rursum dico cum magno gaudio desideret, nam hic cardo humilitatis consistit) in oculis omniũ in nihilum reputari, & vt talis tractari: aliud enim, quod ex me est, non promereor, nec quicquam sum ex meipso.

Et hæc vilipensio & abiectio mei, mihi in veritate conuenit (quia ex me nihil boni habeo, nec promereor) etiamsi multa bona ex magnifica manu tua haberem, quæ tibi soli accepta ferre deberem, & te, non meipsum inde glorificare.

Summè quoque mihi necessaria est hæc humiliatio, & meiipsius voluntariè assumpta abiectio ad curandam mortiferam infirmitatem, quam ex superbia mea incurri: qua curata, habilis reddar, vt tu Deus in me gaudium habeas & gratum seruitium.

Meritò ergo cum gaudio debeo amplecti talem mei ipsius vilipensionem: per quam adimpleo tuam voluntatem, cum propria gloria inæstimabili, & vtilitate perpetua, ex breuissimi temporis labore mihi proueniente.

¶ Ad

¶ *Ad assequendum huius veræ & tam pretiosæ humilitatis habitum & virtutem, necessarium est vt inclinemus frequenter voluntatem: (rursum dico) vt frequenter, imò indies valdè frequenter inclinemus voluntatem nostram, vt cupiat & cum gaudio desideret abiectionem & vilipensionem modo quo nunc dictum est.*

Quantũ humiliari & honorẽ omnem respuere debeam?

O quàm meritò deberem humiliari (bone IESV) & humilis esse, ac despici: ego præsertim, qui toties inuentus sum, proditor aduersus te Dominum meum æternum: peccando enim, animam meam toties abstuli à te (qui dignatus es tua sola bonitate pro me mori) & tradidi eam diabolo.

Da igitur & fac, vt ista seriò aduertens & attentiùs cõsiderans, honorẽ & fauorem omnem (si quando mihi cõferatur) cum magno dolore suscipiam: agnoscens clarissimè illũ mihi non deberi, sed potiùs confusionem.

Considerans etiam quod iste honor fortassis erit mihi impedimẽto summorum bonorum, quæ ex pretiosa vilipensione & humiliatione, & tibi Regi cœlorũ accreuerunt, & proculdubiò accrescent mihi, si in hac humiliatione, comes tibi esse voluero.

¶ *Hic aduerte, quòd, non obstantibus his, & cæteris, quæ de humilitate dicta sunt: posset quis certis casibus velle, honorari & æstimari: oculum, intentionem & respectum habendo ad aliquod Dei obsequium, quod credit aut videt ex huiusmodi honore prouenire. Sed eo etiam casu hoc expetere deberet cum timore & nonnullo dolore, quòd honorari oporteret: magnaq; cum cautela, ne sibi in hoc honore complaceret.*

DE INANI GLORIA.

CAPVT VIII.

HVMILLIME IESV, domine Deus meus quia vis & ſicut vis, doce me & adiuua perfectè fugere & abiicere omnem vanam gloriam vniuerſorum malorum matrem, quæ omne bonum inficit, vniuerſaſque diruit virtutes, potiſſimum autem obſiſtit humilitatis incremento. *Quantũ noceat inanis gloria.*

Eſt autem inanis gloria, complacentia & gaudium, quod ſuſcipit quiſpiam vnde non debet, aut modo quo non debet. Et quidem apertè mala eſt illa inanis gloria, qua quis gaudet & gloriatur de bono quod non poſſidet, longè autem peſſima eſt, ſi gaudet de malo quod perpetrauit. Vtraque igitur hac inani gloria abiecta (quæ ab hominibus bonæ voluntatis, & boni veri cupidis facilè vitatur) da bone IESV & fac, vt ſollicitiùs vigilemus contra eam inanem gloriam, quæ ſolet procedere ex eo bono, quod habemus aut facimus, aut de nobis audimus. *Quid ſit inanis gloria.*

Et quidem de huiuſmodi bonis, quæ ex gratia tua & dono obtinemus, rectè gaudere poſſumus, quatenus inde videmus aut ſperamus aliquod tui obſequium, aut animæ vtilitatem (quod idem eſt, ſi benè intelligatur:) Si autem aliter de his gaudemus aut gloriamur: vanum eſt gaudium & vana gloria. Tunc enim nobis gloriam aſſumimus, quæ tibi ſoli Deo debetur, aut in nobis ipſis gloriamur, *Qualiter de bonis à Deo nobis datis gaudere debeam⁹.*

cum

cum in te gloriari tantum deberemus. Quod obsecro, procul fac à seruis tuis.

Et quoniam tam astuta est vana gloria, vt frequenter nos adhuc virtute debiles, opinemur, quod de bono à te nobis dato, in te gaudemus, & tamen admixtum est huic nostro gaudio plurimum inanis gloriæ: idcirco donec perfectè assecuti fuerimus profundam humilitatem, da & fac bone IESV, vt semper fugiamus omne genus gaudij & complacentiæ, dum recogitamus beneficia, quæ à te recepimus, aut bona quæ habemus, vel quæ de nobis audimus: quin potiùs assuefaciamus nos, vt his temporum articulis, quibus ista recogitamus, metum assumamus, & dolore quodam suspectam habeamus inanem gloriam, quæ occultè admodum in his oriri solet.

Si enim huiusmodi bona nostra recogitantes, magis de illis gaudeamus, quam dum similia bona in proximis aspicimus: vanum est, & non omninò spirituale gaudium.

Quanquam enim virtutem nobis primum eligere debeamus quàm aliis, & item gaudere, quod cum decretum nõ esset, vt nos simul cũ illis ipsam obtineremus, contigit, vt nos eam haberemus: attamen, dum & nos, & illi à magnifica tua manu similia bona habemus: sicut tu de vtroq; æqualiter gaudes, sic & nos de vtroq; similiter gaudere debemus in te, & ex eo quod tua voluntas in vtroq; impletur, & ex vtroque obsequium tibi gratum prouenit. Ita exultabat spiritus beatissimæ matris tuæ Mariæ, in te Deo salutari suo.

Vt autem (humillime IESV) tantum malũ inanis gloriæ à nobis auertere poſſimus: da & fac, vt eius ingentem vanitatem & falſitatem, imò & ſtultitiam attentiùs conſideremus & perſpiciamus, idq́ue ſequenti conſideratione.

Quam ſtulta & meritò deſpicienda ſit vana gloria.

Simile

Turpe admodum eſſet, ſi Aulicus quiſpiã, vel Nobilis, magni æſtimaret, aut apud ſe gloriaretur, quod ſe paruo periculo obiecisſet, ob amorem & obſequium Regis, qui antea ratione, & amore illius magnis periculis, & vulneribus ſe expoſuiſſet. Quòd ſi idem nobilis, non modo illud paruum quod egerat pro Rege, cui tanta debebat, magni æſtimaret, ſed apud alios quoque de hoc ſe iactaret, eſſet nimia leuitas, riſui digniſſima. Longè tamen magis abominanda eſſet illa vanitas, ſi Rex ipſe omnem illum laborem, & pericula pro illo nobili, abſque ipſius auxilio pertuliſſet. Ipſe verò nobilis paruum illud paſſus eſſet magno ipſius Regis fauore & auxilio: magnis etiã promiſſis ei ante paſſum laborem, beneficiis, & poſt perpeſſum illum laborem, perceptis.

Atqui nos in abominandam hanc, & incõparabiliter peiorũ vanitatẽ incidimus, quoties de aliquo bono vel obſequio, tibi DEVS impenſo inaniter gloriamur. Siquidem tu Rex, incomprehenſibilis maieſtatis, infinitæ potentiæ ac honoris, ex ſola tua bonitate, abſque vlla obligatione, ingentem noſtram neceſſitatem cõſpiciens, ad noſtrum remedium, teipſum aſperrimæ, & ignominioſiſſimæ morti expoſuiſti: ad quod nõ ſolum non

fui-

fuimus tibi auxilio, sed nec tibi gratias tunc habuimus, imò omnes qui tunc tecum erant (excepta tua matre) te deseruerũt, & nos magis te deseruimus, defectu nostræ virtutis, cũ tamen nobis nunc magis sit nota tua diuinitas. Quàm ergo vanum, quam stultum, & quã indignum est, nos gloriari de aliquo obsequio quod tibi prestamus, omittentes eo tempore in te solo gloriari? Et quantum vanius est ob id nos velle apud alios in pretio haberi, cum eo tempore quo cor eorum occupatur, in iudicando nos alicuius pretij esse, desinat occupari in te æstimando & laudando, à quo est omne bonum?

Absit hoc à me: absit & ab omnibus seruis tuis, vt delectemur vel cõsentiamus, alios occupare corda sua, in æstimando & laudando nos (qui tantum viles sumus, & nihil laudis meremur) & interim cessare à te magnificando, de omnibus beneficiis tuis: imò verò da & fac, vt de hac tanta inuersione & iniustitia, cordialiter & intimè doleamus.

Quicquid boni facimus ô bone IESV, & quicquid mali patienter sufferimus, id omne nobis contingit à te tuaque magnifica manu, cuius auxilio sublimi operamur, imò qui omnia opera nostra bona in nobis operaris. Quàm ergò vanum & iniustum est, nos ob hæc gloriari aliter, quàm in te, & propter te? Nam etiam vanum & stultum esset nos ex eo gloriari, quòd bona & beneficia tua non abiicimus (sicut damnati & ingrati,) sed acce-
Simile. ptamus. Quis enim homo in mundo tam vanus inueniretur, vt inaniter tãtùm de eo glo-

ria-

riaretur, quod beneficia à Rege quopiam sibi facta acceptasset, cum dementia esset illa nō acceptare? Stultum autem est aliquem gloriari, quòd demens esse noluerit, aut in puteum, cum posset, si non præcipitasset. Nos verò multò vaniores & stultiores essemus, si gloriaremur, & ostentaremus nos, ac laudari vellemus, pro eo quod tua dona acceptauimus, vel non reiecimus; præsertim cum etiā tuo auxilio & dono, ea acceptemus & nō reiiciamus.

¶ *Aduerte quòd toties, vel tam diu posset quis prædictas considerationes attentiùs reuoluere, quòd ex magno vsu eas considerandi, tantum conciperet odium aduersus hanc inanem gloriam, vt deinceps illa vix vnquam ipsi se offerret: nimirum eius vanitate, falsitate & stultitia clarè perspecta. Nemo enim est virtuti deditus, qui non oderit, quod vanum & falsum esse agnoscit & attendit.*

DE PATIENTIA.

CAPVT IX.

¶ *Patientia humilitati adeo germana est, vt propemodum semper iunctæ inueniantur, & eisdem viis aut semitis, quibus vna inuenitur, altera etiam inueniatur.*

Qualiter patientiā ex consideratione patientiæ Christi assequamur.

PATIENTISSIME & mitissime IESV, DEVS & Domine: quia vis, & sicut vis, doce nos, & fac tui amore & imitatione,

tuo dono ac merito verè patientes & mites. Tu enim verus Deus, & omnium Dominus: homo verus, & propter complexionis tuæ teneritudinem & nobilitatem ſupra cæteros homines magis delicatus, & afflictionũ perceptiuus, abſque vllo tuo peccato, & indigentia, propter noſtrorum peccatorum remediũ & ſatisfactionem: cum incredibili patientia & manſuetudine, pati dignatus es tot & tantas exacerbationes, perſecutiones, amaritudines, & tormenta, vna cum morte ignominioſiſſima, & acerbiſſima, vt ea nec mente cõprehendere poſſimus.

Quis ergò noſtrum conqueretur acceptis iniuriis, aut afflictionibus, quas ſemper, & maiores etiam, ſumus verè commeriti? Quis noſtrum manſuete non ſuſtinebit, in remedium propriorum peccatorum, occurrentes labores & anguſtias, ſi conſideret te Deum noſtrum, abſque tuo demerito, pro peccatis noſtris, tot & tanta pertuliſſe?

Iniuriã ab alio nobis illatam, qualiter excipere, & ſufferre debeamus.

Da igitur & fac, bone IESV, vt quoties ab aliquo iniuria aliqua nobis irrogatur, ſolliciti ſimus tanquam veri & induſtrij milites tui, tela, quæ inde aduerſus animam noſtram obiiciuntur, ita excipere, & ab eis nõ ſic tueri, vt nõ ſolum à nullo illorum vulneremur: ſed à quolibet illorum ſingularẽ referamus animæ noſtrę pulchritudinem: ad tuã (O Rex magne) gloriam, in cuius obſequium præliamur.

Si igitur ex modica quadam cauſa ſuſpicemur quempiam dixiſſe aliquid mali de nobis quod nunquam commiſimus: tria, hac ſuſpi-

tione,tela nobis obiiciuntur: primum praui iudicij:alterum,laboriosæ impatientiæ,: & tertium,odij aduersus proximum quem hoc dixisse suspicamur.

Da igitur & fac,vt primo telo corpus subducamus,inclinando volũtatem nostram ne illud acceptet,nec consentiat tali iudicio temerario,quod nobis prohibuisti,dicens:Nolite iudicare, magno ergo gaudio iudicium omne tibi relinquamus, nec vsurpemus officium tuum, ad quem solum pertinet iudicare, Secundùm verò telum omnibus viribus excipiamus, gaudentes de dolore & iniura, quæ inde prouenit,tanquam de calice salutari à te misso,& pretioso dono.

Quantò enim magis visi fuerimus de hoc gaudere, tantò minùs diabolus nos tentabit de impatientia,ne tanti meriti præstet nobis occasionem.Vt autem sic gaudeamus, recurrendum nobis erit ad exercitia & causas odij nostri ipsius,suprà declaratas. Tertiò deniq; iaculo odij erga eum, qui nos iniuria afficit, occurramus,inclinando volũtatem nostram ad producendum singularem actum amoris, erga illum qui tanti boni nobis est occasio. Sic enim in nobis illæsa,semper permanebit patientia,in qua sola possidere possumus animas nostras,& qua deficiente, anima nostra relinquitur veluti iam perdita, & summo in periculo posita,ne à leone rugiente & circũeunte, quærendo quem deuoret, captiua ducatur.

Quod auertere & prohibere digneris, mitissime IESV, vere patientiæ amator &

lar-

largitor, quia vis, & ſicut vis, ſcis, & potes. Amen.

DE QVATVOR ANIMI affectibus.

CAPVT X.

Quo moderamine regẽdi ſunt affectus noſtri naturales.

BENIGNISSIME IESV, quum omne malum noſtrum hinc oriatur, quòd permittimus noſtros naturales affect⁹, videlicet ſpem & gaudium, timorem & dolorem, effrenes diſcurrere: da & fac, vt hoc debito moderamine illos regamus, quatenùs nulli eorum motui in anima noſtra inhærenti aſſenſum prębeamus, niſi quem ſcimus tibi placere, & ex quo gratum ſuſcipis obſequium: alioquin ſemper ab anima noſtra pellamus iſtos motus.

De quibus & quomodo gaudere debeamus

Da igitur & fac, vt de nullo gaudeamus, niſi de te, & his quæ tua ſunt, quæque ad te nos dirigunt.

Et cum in dies innumera minimi momenti gaudium afferentia ſeſe nobis offerant, cautè proſpiciamus ab his nos extricare tanquã à vanis & ſuperfluis, quæ ad te nos non ducunt, nec tibi placent.

Simile quo docemur omne vanum gaudiũ contemnere.

Et meritò quidem contemnere debemus omne gaudium quod non eſt de te, aut propter te. Nam ſi quis Rex præpotens diuitiis magni æſtimaret nummum argenteum, ſic quod illum lucrifacere plurimum gaudij ipſi

ad-

adferret, ipsius autem iactura eum maximè affligeret, & tristissimum redderet, certè is vilis & abiecti animi ab omnibus reputaretur.

Atqui longè maior esset nostra abiectio, si cum habeamus semper præsentia infinita bona, quæ tu Deus tibi ipsi ac nobis possides (de quibus gaudere debemus magis quam de nostris;) gaudeamus de aliis vilibus rebus sese nostris offerentibus: qualia sunt, quęcunq; huius mundi sunt. Idque potissimum cum debeamus magis te amare quàm nosipsos, & pluris ęstimare tuam gloriam, quàm nostram, etiamsi sciamus quod tu nobis hæc facientibus illam magnificè communicabis.

In solo Deo, & his quæ ad Deũ pertinẽt gaudendũ.

Cùm ergo in te, & in his quæ tua sunt, tantam habeamus materiam gaudiorum, admodum incircunspecti sumus, si interim animũ occupemus, de quauis alia re præter te, gaudendo: cum tanto debiliores sint vires nostrę ad gaudendum in te, teque amandum: quanto magis in vana gaudia & negotia dissecantur.

Et tamen certum est, quod quantumuis nos totos dedamus ad te amandum, & in te solo gaudendum, tamen non satisfaciamus ad te amandum, & in te gaudendum sicut dignus es, quanto minus, si & in alia distrahamur?

Da nulla re dolere debemus nisi de

Da insuper & fac (ô bone IESV) vt ob quã cunque mundi rem, quæ contingere, vel deperdi potest, non doleamus, nisi peccatum sit aut peccatum inducat, de nullo doleamus, nisi de peccato, aut occasione peccati. Nullã

tristitiam aut dolorem in anima nostra moram facere sinamus, nisi quæ ob peccatum est assumenda.

peccato, aut propter peccatum.

Cum enim tristitia sit aut de malo præsenti, aut de bono amisso, & nullum verum malum, aut amissum bonum esse possit, nisi ob peccatum, de nullo alio quā de peccato contristari debemus.

Præterea cùm tantum malum (vt est peccatum) nobis adsit, de quo dolere debeamus, inconsideratè admodum agimus, si vires nostras diuidendo, de alia quauis re doleamus, cum nō sufficiant omnes vires nostræ de peccato dolere, quantum deberemus.

Adhæc, omnia quæ dolorem hic nobis adferunt, præter peccatum, in veris bonis sunt reponenda, cum his, tanquam salutaribus afflictionibus, curentur animarum nostrarum vulnera. Sicut in veris malis reponenda sunt, quæuis gaudia, quæ ab hoc mundo nobis ingeruntur, nec propter te, nec secundum te.

Quomodo oēm̄ tribulationem̄ sine inordinato dolore posßimus sufferre. Nota.

Vt autem sublimiùs dolorem tribulationis cuiuslibet à nobis repellamus. Da & fac (bone IESV) vt quicquid pœnale nobis contigerit, gratum nobis sit, tanto tē pore, quantò durauerit: deq́, eo gaudeamus, tanquam de re nobis (qui tui sumus) congruente. Neque de eo ampliùs doleamus, quam tu (cuius nos sumus) vis vt doleamus. Dicamus ergò in omni tribulatione occurrente. Vt quid mihi maior est mei cura, quā tu Domine Deus cupis, vt mihi curę sit, cū meus nō sim, sed tuus: tu autem eius, quod tuum est curam habes, sciens quid expediat, vt ei contingat.

Cæterùm tu vis, vt tantũ habeamus in qualibet tribulatione dolorem, quantum casus acerbitas cogit, vt sentiamus: sic tamen, vt de hoc ipso dolore, tam diu gaudeamus, quàm diu durauerit, tanquam de re quæ prouenit à manu tua diuina & paterna: sicque per hoc gaudium curemus abigere dolorem, secundũ quod casus exegerit, & modo quo nouimus, aut putamus, te velle vt procuremus, & quia tu vis, vt hoc procuremus.

Reme-dia di-uersa contra diuer-sas tri-bulatio nes qua liter sint assu menda.

Pro diuersitatem autem tribulationũ, diuersa remedia; quibus ab illis liberemur, nobis suggeris.

Nimirum contra laborem ægritudinis, medicinas: contra molestiam famis, cibum: contra fatigationem frigoris, vestimentum aut ignem: aduersus molestiã persecutionis (quãdo ob debilitatem virium nostrarum, ac virtutis, nos impedit à cultu tuo diuino) fugam persecutoris.

Hæc autem remedia vna cum aliis omnib. (etiam quæ necessaria fuerint,) da bone IESV, & fac, vt nobis procuremus lęto moderamine, & quia tu vis, vt ea procuremus, quatenùs à talibus molestiis liberati, maiori quiete tibi seruiamus. Et nihilominùs quamdiu tales molestias excutere non possumus, & quamdiu durãt, eas cum gaudio sustineamus eo quod tu Deus, vis vt eas patiamur, ob multas causas, quasdam manifestas, & alias nobis occultas.

¶ *Nescio sanè quo pacto Deus etiam in hac vita, totum se non tradat ei, quem ita totũ assumpsit pro suo, &*

qui iſta dignè exercuerit. Cùm autem certum ſit, quod ſe illi tradat Deus, beata profectò erit huius vita. Nam cum Deus futurus ſit illius, gaudebit ſemper de tanto Dei bono & gloria tanquam de propriis diuitiis. O beatum populum qui ſcit hanc iubilationem, neque enim ſunt vlla verba, quibus manifeſtari poßit gaudium, quod in corde ſuo ſentit is, cuius anima, non verbo, ſed toto corde ſuo dicit ſequentia verba.

Aſpiratio ad Deum ſæpius repetenda.

O quantum bonum poſſideo, quũ tu Deus (qui mihi magis es ego, quam ſum ipſe ego) tam infinitum poſſideas bonum: quem iam video, etſi imperfectè, & ſentio, ac teneo pro meo, magis quàm vnquam quicquã pro meo tenui, ſeu poſſedi. Meritò ergo tantũ hoc bonũ, (quod es Deus) & quod in te poſſidemus, mouere nos debet, ne alio modo, noſtros ſentiamus dolores, niſi prout nũc diximus: cum nos nihil aliud nobiſipſis cupere & procurare debeamus, quàm quod maieſtas & paterna tua cura ordinauerit, & modo quo diſpoſuerit, idque modo & ratione prædictis.

¶ *Expedit vt diligentißimè expendamus ſingula verba quæ in prædictis orationibus & exercitiis dicta ſunt, eo quod ſint maximi ponderis, & maximam contineant perfectionem.*

Tribulatiões occurrẽtis qualiter cũ gaudio ſuſcipere debeamus.

Benigniſſime IESV, da & fac, vt quoties occurrerint nobis innumeræ pœnæ ac triſtitię, quas huius mundi miſeriæ & diſplicentię obtrudere ſolent, toties illis obſiſtamus actu voluntatis, quo talia concupiſcamus, & acce-

ptemus,tum quia de tua paterna manu nobis proueniunt(vt dixit B.Iob:)tum quia noſtris peccatis ea promerentur: tum etiam,quia ex horum patienti & amoroſa, propter te tolerantia,plurima eaque maxima nobis contingunt commoda.

Si talia ſic concupiſcamus, ceſſabit dolor qui primum ideo occurrebat, quod hæc tanquam mala apprehenderemus, & odio haberemus.

Delectabilia qualiter cum dolore ſint ſuſcipiẽda

Da inſuper,& fac bone IESV, vt quoties aliquid delectabile,& gaudium adferens,nõ propter te, nec ſecundum te nobis occurrerit, producamus actum doloris & triſtitiæ, pro eo quod tale gaudium à plurimis & maximis commodis nos reuocat & impedit,quę nobis ſolent prouenire ex tolerantia aduerſorum & triſtium.

Et ſanè iuſtiſſimum eſt, vt occurrente dolore, gaudeamus, & gaudio occurrente, doleamus, quia toties te Deum offendimus, & te ab anima noſtra expellentes, diabolo tradidimus, propter quod omni gaudio indigni,& omni dolore digniſſimi ſumus. Iuxta quod admonet nos, qui dicit: Gaudium pro pœna,dolorque pro gaudio ſint tibi ſemper.

Vt autem iſta perfectè impleamus, da nobis & fac,bone IESV, vt apertiùs cognoſcamus omnia in ſe,& quod nos nihil eſſe,niſi quatenus ex ſe,aut à nobis, in te Deum referuntur.

Quanquam enim vniuerſi hoc ſe ſcire dicant:beatus tamen eſt in terris,qui iſtud per-

ectè cognouerit, & in veritate senserit.

Da insuper vt nullius rei spem in corde nostro residere sinamus, præter te Deum: & ea per quæ magis putamus nos tibi appropinquare, & idoneos reddi, vt tibi placeamus & seruiamus (qualia sunt virtutes ac beatitudo.) Quod si spem cuiusque rei alterius videamus figi in corde nostro: statim hanc expellamus, cum apertè sit contra debitum ordinem.

Quæ & qualiter sperare debeamus.

Domine DEVS illuminatio mea & salus mea, qui dixisti: Nolite timere eos qui occidunt corpus: Timete autem eum qui potest animam & corpus perdere in gehennam, ita dico vobis, hunc timete: Da quod iubes, & fac sicut iustissimum est, vt timore filiali & reuerentiali te solum timeamus, metuentes semper & vbique & sollicitè præcauentes ne te offendamus, aut ad iracundiam prouocemus ne aliquid committamus quod tibi tanto patri ac domino displiceat.

Quæ timere debeamus.

Imò & alio quouis timore te solum timeamus, cum tu solus possis vitam & mortem æternam inferre.

Deus solus timendus ne à nobis offendatur.

Cætera omnia non timeamus, nam etsi in nos irruant, quæcunque sunt mundi calamitates, nullo malo, quod verè malum dici possit, nos queunt afficere, si eas non metuimus, sed audacter eis occurrimus & grato animo illas recipimus, eò quòd tu Deus noster ac redemptor cupis vt eas toleremus in memoriã eorum quæ pro nobis sustinuisti. Tunc enim augebunt in nobis dignitatem gloriamque perpetuam.

Si igitur timor alicuius molestiæ imminentis nobis irrepserit: da & fac bone IESV, vt statim inclinemus voluntatem nostram ad illum repellendum: nihili reputantes talem molestiam, imò etiam æstimantes illam in pretiosum ornamētum nobis mitti, vt sic solus timor tuus filialis & reuerentialis occupet locum cordis nostri.

¶ *Qui has animæ paßiones ita rexerit & coercuerit, sicut hic est explicatum, sine paßione viuet, illa pace abundans, quæ pacificos facit appellari, filios Dei.*

PARS TERTIA METHODI.

DE CHARITATE ET amore Dei.

CAPVT I.

BENIGNISSIME & ignitissime IESV, ignem, quem venisti mittere in terram, hoc est amorem tui, quod est primum & maximum mandatum, quia vis, & sicut scis, vis & potes, immitte & accende in cordibus nostris.

Nemo enim beatorum, opus vllum sublimius operari potest quàm te amare. *Amare Deū est opus cæteris sublimius & diuinius.*

Sanctum tuæ diuinitatis opus, quod tu Deus semper operaris totis & infinitis tuis viribus, est; teipsum tantùm amare quantum tua maiestas & bonitas promeretur, & digna

est, hoc est infinitè. Es enim ex infinita tua bonitate & excellētia, infinitè amabilis: neque est vlla in cœlo aut in terra excellentia, quæ nō sit magis tua, quàm eius qui eam possidet: & ex omnibus gloriam & lætitiam habes infinitam, eamque amas & in ea gaudes & gloriaris.

Vis etiam vt nos, & omnes creaturæ rationales, eandem tuam gloriam, & bonitatem, & excellentiam recogitemus, consideremus, amemus, & de ea gaudeamus & tibi congratulemur, quod est te amare veraciter.

Vult Deus vt ipsum amem⁹ & de bonis eius gaudeamus

Da igitur quod iubes & vis, & fac vt (sicut est æquissimum) nos omnes totis viribus te amemus, tuęque bonitati, & omnimodæ excellentiæ intime congratulemur.

Et quoniam id perfectè agere non valemus: gratias agamus tibi pro eo quod infinitis tuis viribus, teipsum infinitè amando, supples quod à quolibet nostrum tibi deberetur.

Congratulemur etiam tuę dignitati & excellentiæ, quæ tanta est, vt etiamsi nunquam cessaremus à tua laude, semperque de tuis excellentiis gauderemus & gloriaremur, nihil tamen ageremus, si ad id conferretur, quod tua dignitas promeretur.

Cur Deus velit à nobis amari & laudari.

Et quamuis nihil opus habeas nostris obsequiis & laudibus (cum ex te, & in te sis infinitè gloriosus & beatus) tu tamen ex ingenita tua bonitate illa requiris, eo quod sit nobis vtile & gloriosum, & ex se iustum & bonum nos ista tibi exhibere. Id autem potissimum cupis & à nobis exigis vt te amemus,

& de tuis bonis gaudeamus, quod est sanctum tuum opus.

Da igitur, vt (sicut ante omnia à nobis requiris) nos singuli id agamus totis viribus nostris, quod tu tuis operaris, hoc est, vt te recogitemus, contemplemur & amemus, ac de bonis tuis magis, quam de nostris gaudeamus.

Ad hoc excitet & inflammet nos nimia charitas tua, qua animam tuam moriens posuisti, vt ad te amandum nos prouocares. Cętera omnia, quæ per te aut tuos vicarios à nobis expetuntur, seruemus & impleamus propter hunc amorem assequendum, & impulsi ex hoc amore, cuius sunt adminicula necessaria, & quia ea omittere magnum esset obstaculum tuo amori. *Omnia bona sũt propter Dei amorem expetẽda & faciẽda.*

Vitia omnia ideò fugiamus, quòd sint amor inordinatus rerum vanarum, quem vitare debemus, ne locum tui solius amori deputatum occupet.

Virtutes omnes ideò sectemur, quia ad hunc tui amorem animas nostras disponũt: ad quem assequendum sunt adeò necessariæ, quod magna esset præsumptio putare illum assequi, absque magno virtutum exercitio.

Da igitur & fac, vt veraciter te amemus, hoc est, vt voluntas nostra sæpiùs producat actum fortiter, & interdum cum dulcedine diligendi, cupiendi, & congratulandi, quod tu Deus sis id quod es: quod possideas tantam gloriam tantumq; dominium, quantum reuera super nos, & super omnia possides, qđ *Quid sit verè amare Deum.* *Nota.*

habeas tantam beatitudinem, quantam habes. Rursumq́; cupiendo, vt quicquid est, vel esse potest, te amet, & ex amore tibi seruiat, teq́ue glorificet propter solam tuam infinitã bonitatem & dignitatẽ, & quatenus tuæ maiestatis excellentia exigit, vt totis viribus id agamus.

Ecce, quid sit amor Dei, & quî sint essentiales actus eius, in his verbis exprimitur, quæ verba profundæ sunt intelligentiæ, in quibus nos (si verè desideramus te Deum amare) debemus indies frequentissime meditari.

Actus essentiales amoris erga Deum qualiter sunt exercendi

Sæpius ergo recogitemus & meditemur, quis & qualis & quantus sis (ô Deus immense:) & quam vniuersale super omnes dominium, quantamq́ue gloriam & beatitudinem habeas: & de hoc gaudeamus & delectemur, sicut gaudere solemus de amicorum nostrorum dignitate & dominio: immò tantò amplius, quantò te, plus quam illos amare debemus.

Optemus etiam, vt quicquid est in rerum natura, te amet & glorificet, tibiq́ue ex amore obsequatur, id mille modis cupiendo, & centies millies procurando. Mentis discursu meditemur mille modos gloriæ, magnitudinis & obsequij quæ tibi debentur, & hæc omnia tibi optemus.

Istaque omnia faciamus, quia tu Deus his omnibus es, ob solam tuam bonitatem, superdignissimus.

Omnis enim æquitas ostendit & exposcit, vt te tantum tamq́ue bonum dominum

ame-

amemus modo excellentissimo qui excogitari possit. Cùm ergo nullus sit finis sublimior, quam tu ipse Deus (qui es principium omnium & finis:) debes à nobis amari, non ob id potissimùm, quod à te recipimus aut expectamus: sed purè & principaliter propter temetipsum, qui es infinitè amabilis.

Qualiter velit De⁹, vt de bonis ij sius gaudeamus

Hoc igitur vis, hoc à nobis expetis (quod da vt plurimùm annotemus) vt voluntatem nostram ita assuefaciamus, quatenus persentiamus, nos ad te amandum & de tuis infinitis bonis gaudendum moueri, non propter dulcedinem quam percipimus ex hoc tui amore & gaudio, neque ob dona quæ à te percepimus aut speramus. Sed vt his veluti obliuioni traditis, sentiamus nos moueri ad te amandum, quia dignissimus es, qui habeas omnes volũtates angelicas & humanas in hoc occupatas vt te amẽt & velint, ac delectẽtur, quod tu Deus habeas, & sis omne bonum, ꝙ es & habes: etiamsi nihil inde commodi ad nos rediret: quanquam sanè tantò ampliùs ad nos redibit, quantò magis te sine proprij boni nostri intuitu amauerimus.

Da igitur & fac, superamandissime IESV, vt ista quæ à nobis expetis, amanter exerceamus.

Et quia hic sanctus tui amor habet initiũ progressum, & finem: non turbemur, si iste amor in nobis in initio non magna sui signa edat, quę in anima nostra sentiantur: sed credamus, quod etiam tunc, quando adhuc est paruus, maximi pretij est: & vbi incrementa cœperit, dabit sui indicia.

Huius autem amoris experimentum, certumque indicium in nobis recognoſcemus: quando æqualiter te amabimus, dum aſperũ te nobis exhibes, atque dum dulcem te præbes: atque dum ex iuſtitia nos caſtigas, ſicut dum miſericorditer beneficia præſtas. Quod vtinam nobis dones, & in nobis perficias. Da igitur & fac, vt non te amemus eò quod nobis ſis dulcis & ſuauis: ſed quia digniſſimus es propter te amari.

Amoris erga Deum ſinceri ſignũ certum.

Amemus tamen dulcedinem & ſuauitatem, eò quod à te nobis tribuatur, præbeatque nobis animum, vt diligentiùs tibi ſeruiamus.

Sic te amantes, caſtigatione non terreamur, ſed ipſam ſuſcipiamus cum filiali amore, quem exigit paterna ac regia manus tua, eam inferens.

Caſtigationes ſunt ex amore à Deo ſuſcipiẽdæ.

Nec ſupplicemus aut oremus pro aliqua re, attracti deſiderio aut ſuauitate rei petitę, ſed vt anima noſtra tali re adiuta, & virtutibus ditata, confortetur ad diligentiùs ſeruiendum tibi, & feruentiùs, te qui talia beneficia præſtas, amandum.

Non indignemur, etiam ſi viderimus nos interdum eſſe conſolationibus tuis deſtitutos: doleamus tamen, ſi quippiam in nobis ſit, quod tuę diuinæ maieſtatis oculos offendat, atq; ob id ſimus à te ſeparati & elongati.

Nõ poſtulemus ob id peccata nobis ignoſci, vt pœnam euadamus, aut perditam gratiam & virtutes, vel ius ad gloriam recuperemus, ſed vt anima noſtra, accepta à te venia peccatorum, tibi ſit gratior, teque amet, &

purè tibi creatori ſuo ſanctiſſimo ſeruiat.

Denique non permittas nos habere aliquam affectionem, quæ cor noſtrum aliorſum, quàm ad te, trahat.

Nullis affectionibus à Dei amore ſe parari debemus.

Non aduertamus, nec cogitemus: verùm homines de nobis cogitent.

Non doleamus, imò gaudeamus, cùm viderimus nos in nullo pretio haberi: Augeamus & triſtemur de exhibitis nobis honoribus, metuentes ne nobis ſint impedimento ad humilitatem.

Gaudeamus de bono & honore aliorum: exiſtimantes quod illis, tãquam fortioribus, etiã honores erunt auxilio, vt feruentiùs tibi Deo ſuo ſeruiant, cupientes abſq; vlla vanitatis fictione, vt alij à ſe bonorum operum exemplum ſumant.

Si tales (bone IESV) nos feceris, omnia habebimus, & nihil habebimus. Omnibus nos ſubmittemus, & omnia nobis ſeruient. Omnem fugiemus ſuauitatem, & nihil ſentiemus niſi quod nobis ſuaue ſit. In te ſummo Deo cognoſcemus quicquid nobis faciendum, dicendum, aut cogitandum erit. Idq́; cogitabimus, dicemus, aut faciemus propter te ſolum. Sicque non iam nos viuemus, ſed tu, Chriſte IESV, in nobis viues, dans nobis vt vita diuina viuamus.

Fructus diuini amoris. Nota.

Et amando nos, non amabimus noſmet ipſos, ſed te altiſſimũ, cuius amore quoduis bonum deſiderabimus.

Eya quando iſta implebuntur à te, & per te, & propter te in nobis? Vtinam citiùs ſicut ſcis expedire ad tuum honorem, & animarũ

nostrarum salutem, & sicut vis & potes, In nobis ista perficias.

Qualiter debeamus filiali amore Deũ diligere. Nota.

Cùm ergo tu sis Pater noster æternus, & nos, ex magnifico tuo dono, simus & nominemur tui filij, da & fac, vt tanquam boni filij, filiali amore te diligamus: & animam nostram eo subigamus, vt nullum gaudium sentiat de omni bono quod agimus vel expectamus, nisi quatenus consideramus, per hoc gratum tibi præstari obsequium & gaudiũ.

Et quicquid egerimus, faciamus cum magno gaudio, eò quod existimemus id te gratum habere.

Omnis etiam dolor quem ex peccato admisso senserimus, sit ob id, quòd illud est cõtra tuam voluntatem, tibiq́; displicet.

Nobilissima liberi arbitrij operatio est Deũ amare, quia id vult Deus.

Nobilissimum quod in nobis collocasti ad operandum, (ô creator noster Deus) est liberum arbitrium, quo liberè quodcunque volumus, operamur. Et operatio quæ in nobis in hac vita nobilissima potest fieri, est, vt per huiusmodi liberum arbitrium, id amemus, quod bonum esse & amandum cognoscimus.

Sed quia infirmum est ex se nostrum liberum arbitrium: vt opus eius sit magni pretij, tibiq́; acceptum, da & fac vt illud semper vniamus ac fortissimè conglutinemus tuæ diuinæ voluntati, quæ infinitæ est excellentię) sic vt ad nihil aliud feratur nisi ad quod tua infinita voluntas voluerit: Tunc enim velle nostri fragilis arbitrij, erit infiniti valoris ac sublimitatis, cum relicto velle nostro habuerimus velle tuæ infinitæ voluntatis.

Præcipuum autem velle tuum, idq; continuum, est, quo vis, amas & gaudes, ob infinitum bonum, quod tu es.

Propter tres causas potißimũ Deus vult vt de bono ipsi⁹ gaudeamus

Et ob multas causas vis & requiris à nobis, vt & nos hoc ipsum velimus, amemus, & de eo tecum gaudeamus: Primò, ob tuam bonitatem qua vis vt nostrum vile & abiectũ arbitrium in tantam sublimetur nobilitatẽ, vt habeat velle infiniti valoris: Secũdò, cum tu nos ad tantum bonum creaueris, æquum est, vt aliquod tibi præstemus obsequium, & quoniam nullo nostro obsequio indiges, nec potes maius habere bonum quam habes, ne otiosi simus, iustum est vt tanquã obsequiosi serui qui gaudent de bono domini sui, in hoc tota vita nostra occupetur, vt gaudeamus de bono & gloria tua: Tertiò, quia iustissimum est, vt nos adhuc in terra positi, incipiamus quærere voluntatem illam infinitam, à cuius impletione prouenit illa, quam expectamus, beatitudo.

Quanti sit meriti aliquẽ ad amandũ Deum inducere. Nota.

Da igitur & fac, vt in hoc amore tuo iugiter exerceamur. Tantum enim est tui amoris pretium & excellentia, vt si nos mortem sustineremus, imò & innumeras mortes, quatenùs alius quispiam te vel minimo temporis spatio amaret (si absque illa mortis perpessione te amare non posset) meliùs collocatam nostram mortem credere deberemus, quàm si pro labore vnius horæ, aut pro modico nummo argenteo mille homines à captiuitate Maurorum redemissemus. Nam maius bonũ in se habet ille breuis tui amor, quam mali sit in omni dolore quẽ tol-

lleraremus, etiamsi millies mortem appetere possemus, præsertim, cum breui illi amori debeatur augmentum gratiæ in præsenti, & perpetuæ gloriæ in futuro.

Cum ergo amor tui tantæ sit sublimitatis & meriti: deberemus semper, aut certè innumeris vicibus, etiam eadem hora repetitis (si id nostra infirmitas pateretur & posset) hunc tam sublimem amorem exercere. Quia quantò frequentiùs & intentiùs hîc te amauerimus, tantò sublimiùs in te & de te in futuro gaudebimus.

Deflenda nostra negligentia in amando Deum.

Propterea meritò considerare & deflere deberemus nostram negligentiam aut malitiam, qua tot horas, imò menses, imò annos, absque hoc amoris exercitio transiuimus. Quod vtinam des nobis facere: simul & amariùs deflere, quicquid ab hoc tui amore nos vnquam disiunxit, quale est peccatum, quod si mortale sit, inimicus capitalis est ac penitùs contrarius huic amori: sin veniale, teporem ac remoram tãto bono inducit. Da etiam, vt summè doleamus, quoties aliquid nobis contingit, quod huic amori præstat impedimentum, qualia sunt humani fauores, & quæuis delectatio aut complacentia temporalis superflua. Et intimè gaudeamus de eo omni, quod ad hunc amorem potest nos promouere, cuiusmodi sunt, iniuriæ, vilipensiones & quæuis persecutio.

Dolendum in prosperis. Gaudendum in aduersis.

Si enim ita non agimus, magna digni sumus repræhensione. Quod si interdum ob debilitatem corporis, aut quia nondum in anima tantam virtutem consecuti su-

mus, quanta esset necessaria ad tollerandas persecutiones, necesse nobis fuerit illas fugere, & eorum societates, qui nos malis afficiunt, vitare: aut procurare nobis, vel suscipere aliqua delicata vel dulcia: da vt saltem id faciamus intentione actuali, ad vitanda mala maiora, plurimumq́ue ex eo doleamus, quod fugiendo aduersa, recedimus ab eo quod nos promouere poterat ad sublimem amorem tuum, quodq́ue illa delectabilia assumentes, omittimus aspera, ad quæ ob nostræ negligentiæ malitiam meritò obligamur. Idq́ue faciamus cum humili prece, qua à te suppliciter petamus, vt virtutem in corpore & anima nostra robores, qua vires accipiamus ad resistendum fragilitati, ob quam nobis est necesse persecutionem fugere, aut delectabilia sumere, sicq́ue absque vllo impedimento disponamur ad exercitium tui excellentis amoris per tolerantiam aduersorum, & delectabilium substractionem.

Fundamentũ enim & primaria dispositio ad amorem tui (Deus) est odium nostri. *Fundamētum amoris erga Deũ, est odium nostri.*

Superamandissime IESV, iterum atque iterum millies supplico, & obsecro, vt des nobis totis viribus ad hunc tui amorem contendere, cuius magnitudini debetur & redditur gloriæ æternæ sublimitas, vt sic per hunc amorem gloriosi facti, te semper modo perfectissimo amemus, & colamus in æternum, sicut amari ab omnibus es dignissimus.

Quod si doleremus si nostra negligentia *Dolere*

debemus, quod toties omittimus Deũ diligere.

iacturam faceremus magnarum dignitatum aut opum: da & fac vt tantò ampliùs doleamus omittere, vel ad modicum momentum te amare, cùm id possimus etiamsi nullum in hoc concurreret peccatum, quantò in hac omissione maioris boni iacturam facimus.

Simile.

Porrò sicut artifex, quantumuis peritus, nullum facit lucrum, nisi dum in suo operatur artificio, ita nec nos in tui amore locupletiores efficimur, nisi dum speciales, producimus amoris tui actus.

Modus quo ordinatè nos in amore Dei exercere debemus.

Vt autem ordinatè procedamus ad hunc tui amorem assequendum, da & fac, vt in exordio nostræ ad te conuersionis, non statim plenè in amore tuo exerceamur, nõ præmissa ad hoc sufficiẽti præparatione, nec ingressi iter propriæ abnegationis & exercitij virtutum: sed multis diebus primũ exerceamus nos in odio nostri & abnegatione, & in tui amore & imitatione. Deinde cùm in hoc probè exercitati fuerimus, quando volemus amoris exercitio insistere, breuiter reducamus in memoriam quàm grande sit bonum, & quàm magna gloria, quam tu, Deus, possides, quamque sis dignissimus vt omnes de tuo bono gaudeant: statimque inclinemus voluntatem nostram vt id amemus, & de tanto bono tuo gaudeamus, persistamusq; in hoc velle quantum poterimus.

Quod si in hoc aliquantum distracti & tepefacti fuerimus, rursus statim ad eundem modum nos conuertamus, & ita, quantum erit possibile nobis, non omittamus producere actus quibus cupiamus seu amemus bo-

num tuum, quod habes (ô Deus) & in animo frequentiſſimè præ gaudio exiliamus, conſiderantes te infinitis bonis eſſe pleniſſimum.

Ex magna enim huius exercitij continuatione, ad excelſum tui amorem ſubleuari poterimus. *Simile quo docemur qualiter de perfectionibus Dei gaudere debemus.*

Si nos audiremus referri eadem hora plurimas noſtri ſingularis amici victorias, aut eximios honores ei exhibitos, de quolibet eorum gauderemus: & quodlibet illorum gaudiorum, ex affectu ad hunc noſtrum amicum procedentium, eſſet actus amoris.

Sic nos cogitantes tuas perfectiones & opes, de omnibus & ſingulis gaudere debemus, & tantò ampliùs, quantò illæ ſunt infinitæ, tuusq; honor & gloria ſunt infinita: & quicquid agis aut creas, ſingularem refert tibi honorem ac dignitatem. Et cùm vniuerſa vitæ noſtræ momenta non ſufficiant vt ſingulas tuas perfectiones cõſideremus, ſaltem debemus illas ſub nomine (boni & gloriæ infinitæ) accumulare, & volũtatis actus ſæpiſſimè producere, inclinando eam vt hanc gloriam tuam amet & cupiat, & de ea omnibus momentis (quantum poterit) gaudeat, quod tibi (Deus noſter) longè magis debemus, quã vlli alteri amico, præſertim cùm etiam non modica pars gloriæ tuæ in nos ex magnifica tua beneficentia reſultet.

Poſſemus autem adeò in his amoris actibus nos exercere (etiam abſque ſenſibili dulcedine & deuotione) vt in omni loco & negotio frequenter & facilè actus amoris erga *Quàm facilè vbique poßim⁹*

te

te produceremus, non quæſito ad hoc loco ſecreto aut noſtri ſequeſtratione : quemadmodum indies contingere ſolet, quod gaudeammus, dũ audimus recenter accidiſſe bonum alicui noſtro : de hoc enim ſubitò gaudemus, non quærentes aliud tempus & locum vt de eo gaudeamus.

amoris erga Deum actus produ-cere.

Ideo autem debemus & volumus de tuo bono gaudere, quia tu vis vt inde gaudeamus, & digniſſimus es vt propter te hoc faciamus.

Orando & amoris erga Deum actus produ-cere.

Poſſemus etiam ad hunc tui amorem peruenire, feruenter illum à te petendo per modum orationis, vna cum virtutum exercitijs : ſed breuiùs ac ſublimiùs illum aſſequemur, ſi ſimul cum tali oratione nos exerceamus in prædictis amoris tui actibus, tam in oratione, quam extra orationem, nam in quolibet actu tali, inuenitur nouum obſequium tibi gratum, & tui amoris argumentum.

Quod ſi dum conamur producere hos actus te amandi & cupiendi bonum & gloriam tuam, omneſque actus & motus noſtros in tui obſequium reducere cupimus, inueniamus volũtatem noſtram adhuc valdè hebetem eſſe agnoſcamus id nobis prouenire, eo quòd deſit nobis ſanctum noſtri ipſius odium : aut quòd hæreat in nobis quiſpiam affectus inordinatus ad aliquam rem terrenam, veluti amor non neceſſariæ delectationis, aut affectus ad aliquam perſonam non benè ordinatus.

Propterea debebimus hunc defectum di-

ligen-

ligenter in nobis perquirere, illumq; cōtrarijs voluntatis actibus euincere & auferre, ad tuam gloriam & gratum obsequium.

Odium nostri præcedere debet amoris exercitium.

Velle inclinare voluntatem nostram, vt producat actus amoris tui (Deus) super omnia, nō obtento priùs sancto ac pretioso nostri odio, aut permanente in nobis affectu ad aliud quippiam terrenum, aut quidui- quòd delectationem adferat non inordinatam in Deum actu, aut saltem virtute: nihil aliud est quàm velle malleo ea discindere, quæ requirunt gladium aut ensem acutissimum. Oportet enim voluntatem, quæ habet producere actus veri amoris tui, adeò acutam esse, vt penetret quicquid obiectum fuerit, donec ad te Deū perueniat. Huiusmodi autem acuta voluntas, etiam in quiete & sine labore, mille, imò longè plures actus amoris in die producet, quorum vel minimus tanti sit meriti, vt solus hominem in excelsum gloriæ gradum eleuare sufficiat.

Et contra, qui per volūtatem, modico inordinato amore hebetem aut obtusam, conatur dirigere se vt amoris actus producat, huic tam difficile est te amare, quàm malleo diuidere. Sublimitas enim tui diuini & perfecti amoris, rem adeò vilem & abiectam secum non patitur.

Falluntur multi putātes se verum Dei a-

Vnde multi falluntur, putantes se habere sincerum tui amorem, ex eo quod longo iam tempore te Deum amauerunt, tanquàm dulcem, suauem, & qui se communicaret, benefactorem, & tuo etiam obsequio delectati sunt: frequenterque à te varia dona petie-

runt,

runt, magna cum delectatione contemplationis magnificentiæ tuæ, & cogitationis excellentiæ virtutum, quas à te postulabant, sæpiusque ad te accesserunt, tanquàm ad fontem, in quo tantam suauitatem inuenerunt, vt opinarentur nihil deesse huic amori, sed plurimùm inesse sublimis meriti in qualibet rerum prædictarum: Siquidem opinabantur magnitudinem suauitatis, ac dulcedinis, quàm in sensitiuo appetitu percipiebant, esse amoris magnitudinem. Et quidem talis amor bonus est, atque adeò bonus, vt satis esset inchoantes per aliquot dies in eo exercere, vt ex hoc faciliùs peruenirent ad sublimiorem tui amorem: atque vtinam quicunque te non amant, saltem sic te amarent.

morem habere, cùm nō habeāt.

Absit tamen, nec permittat maiestas tua, vt nos, qui te perfectè amare desideramus, contenti simus tali amore, qui certè fragilis est. Qui enim sic te amat, protinùs vbi deest, aut discedit dulcedo, deiecto admodum animo incedit in his quæ tua sunt, adeoque vincitur animi fragilitatibus, ac si nihil propemodùm habuisset illius amoris. Siquidem tunc tantùm procurat delectationes corporales, nempè suauiter edere, dormire, & alia vana, & appetitui suo seruientia, item amicitias sensuales, honores & fauores, (quamquàm, non eo gradu quo peccatum mortale inducerent) quantùm alius, qui nondum cœpit gustare diuina.

Quàm sit fragilis amor Dei conceptus ex eius dulcedine & beneficijs.

Imò etiam talis amans, tempore quo dicta dulcedine visitatur, frequenter nonnullis

capitur vanis delectationibus & affectionibus, & quæ interdum nõ parùm sunt sensuales, tractus lepôre vel pulchritudine quarundam personarum.

Rursus talis cupit videri ac deuotus haberi, doletque dum percipit se pro tali non reputari: neque gaudet dum intelligit alios haberi in deuotione se feruentiores: aliasque similes contrahit maculas, quæ omnia adeò sunt abiecta, vt ea secum non compatiatur sublimis tui amor Deus, etiamsi dulcedinem illam non habeat.

Veruntamen iste amor eius, qui te amat ob propriam vtilitatem ac dulcedinem, etsi tam fragilis sit, nihilominùs ad duo plurimùm est vtilis: quod is qui illum possidet, facilè poterit à se abijcere prædictas maculas, & vanum amorem. Secundò, talis proximè erit dispositus, vt multos producat actus sublimioris amoris, vbi ad illius cognitionem peruenerit, qui suprà est explicatus.

Quoniam autẽ exemplis res apertiùs exprimuntur, operæpretium est, vt frequenter recogitemus sequens exemplum, ex quo conspicere possumus (quantum fieri potest) quomodo te sincerè & sublimiter amare debeamus, ô Deus superamandissime.

Exemplũ quomodo Deum purè & sublimiter propter se amare debeam⁹.

Sit ergo quispiam filius bonus, habens patrem virum admodum probum, sed quo ad temporalia pauperé & obsequio filij indigentem, à quo filius nihil bonorum expectat, nec eo eget: quia tamen est bonæ indolis filius, amat ac seruit huic patri, in tãtum, vt omne gaudium & delectationem illi cu-

piat potiùs quàm sibi, magisque gaudeat in patre delectari quàm in seipso, & omnia, honorem & gaudium spectantia quæ facit, aut quæ ipsi offeruntur, eatenùs cum gaudio suscipiat, quatenùs putat patrem inde gauisurum.

Atque è diuerso ex occurrẽtibus sibi afflictionibus, magis affligitur ob dolorẽ, quem inde pater concipit, quam ob suiipsius pœnam: ita quod dũ hic filius ægrotat, maiorem pœnam & afflictionem spiritus sustinet, ob dolorem, quem videt patrem perpetientem, videndo filium suum ægrotantem, quam ex proprio dolore: cumque redit sanitas, magis gaudet de gaudio, quod inde concipit pater, quam de ipsa sua sanitate. Omnem hanc voluntatem & amorem hic habet filius ergà patrem, prouidens ipsi in omnibus, quæ illi necessaria sunt: non alio intuitu quàm ob magnum amorem, quem ab infantia habet ergà patrem suum, ex vera amicitia quæ non venatur proprium commodum sibi prouenientem.

¶ *Hoc exemplum is, qui Deo seruire incipit, debere indies frequenter animo reuoluere, saltem ad duos vel tres menses, vt inde addisceret amore veræ amicitiæ (quæ non quærit quæ sua sunt) Deum amare.*

Applicatio exempli prædicti. Tu verò Deus, es Pater noster æternus, nos autem, ex magnifico tuo dono, filij tui sumus, tu bonis nostris non eges, nos autem tuis bonis carere non possumus. Da igitur

& fac,

& fac, vt nos gaudeamus, quòd tanta ſit tua maieſtas & opulentia, vt noſtri nequaquàm egeas, & cognoſcentes longè maiorem eſſe noſtram ad te amãdum obligationem, quàm prædicti filij ad patrem ſuum (cuius ope non egebat:) ſaltem te ſic amemus, qualiter ille ſuum patrem amabat, & ad hoc voluntatem noſtram inclinemus& ſubigamus, vt nullum gaudiũ ſentiat de omni bono quod agimus, aut expectamus, niſi quatenùs intelligimus per hoc gratũ tibi, Deo & Patri noſtro, præſtari obſequium. Et quicquid egerimus, faciamus cum magno gaudio, eò quòd exiſtimemus (& reuera ita ſit,) te id gratum habere: Et omnis dolor quem ex peccati infirmitate ſentimus, ſit ob id, quod eſt contra tuam voluntatem, tibique diſplicet.

Si hoc filiali amore te amauerimus: incipiemus eam quam in cœlis à te expectamus beatitudinem, iam in terra quodammodò poſſidere: vt enim aſſerunt Theologi, gloria eſt gratia conſummata, hoc eſt, gloria, eſt charitatem, quæ hîc inchoatur, in perfectione poſſidere.

¶ *Quod ſequitur eſt annotandum & ſæpiſſimè relegendum, vt intelligatur qualiter gloria cœleſtis perficiatur in hoc amore filiali.*

Omne noſtrum gaudium, ex adimpletione propriæ voluntatis prouenit. Et quantò magis noſtra voluntas aliquid deſiderat, quantoque perfectiùs adimpleri ſentit quod deſiderat, tantò maius gaudium cõſequitur. *Qualiter beati de glo ria Dei gaudeant.*

Cæterùm beatitudo, ſiue perfectum, quod in cœlo à te cum beatis expectamus gaudium (ô Deus) ex tua clara viſione prouenit. Tu verò ipſo momento, quo clarè videris perfectiſſimam tui cognitionem ſic te videntibus infundis, qua cognoſcunt te digniſſimũ eſſe qui habeas bonum & gloriam infinitam. Nam ſtatim vbi te vident, omnes ſunt ſapientes & prudentes, vt videat quiſque quid ſibi conueniat: cui cognitioni ſimul adiungitur tui amor ſuper omnia creata, vnà cum ineffabili deſiderio, vt tu poſſideas omne iſtud bonum & gloriam, quibus es digniſſimus: quod ſuum deſiderium & intentiſſimam voluntatem tuæ gloriæ, vident longè perfectiùs impleri, quàm ipſi valeant comprehendere.

Vident enim ac intelligũt te Deum ſuum, quem tantopere amant, tanto bono & gloria decoratum, vt ob illius infinitatem nec ipſi valeant perfectè intelligere, nec illi valeat defectus aut augmentum gloriæ accedere.

Cùm ergo tantò maius cuiuſque ſit gaudium, quantò maius eſt eius deſideriũ quantoq́ue perfectiùs adimpletur, apparet amplitudo gaudij & glorię cuiuſque beati ex eo quod ſumme deſiderat te infinitum bonum & gloriam poſſidere, cuius maiori tenetur deſiderio & amore, quàm propriè, quæ ipſi competit, gloriæ: & clariſſimè intelligit ſuũ hoc deſideriũ perfectiùs impleri, quàm poſſit comprehendere. Vnde etiam dicitur potiùs intrare in gaudium domini, quàm gaudium domini in ſe ſuſcipere.

O verum beatum illum, qui in terra, tuum esse & gloriam (ô Deus gloriosissime) intima voluntate amauerit & cõtemplatus fuerit: suum enim desiderium tantò sublimiùs impleri videbit, & sentiet in cœlo, quantò hîc intentiùs amauerit.

Nemo autem potest concipere, quàm intimè hi qui hîc te Deum amarunt, optent in cœlo, velintque te habere bonum quod possides, & quàm sublimi modo adimpleatur hoc eorum desiderium, quantumq; sentiant gaudium, & in desiderando, & in adimpletione sui desiderij.

DE AMORE PROXIMI.

CAP. II.

SVPERAMANDISSIME IESV, vt tibi semper placere possimus: da vt in omni opere & negotio occurrente duo hæc attentiùs consideremus. Primum, quid tu velis nos agere. Secundum, in quem modum velis vt hoc faciamus. Parùm enim ageremus, si faceremus, quod tu cupis, nisi etiam illo modo id fecerimus, quo tu vis vt fiat. *Duo in quolibet opere nostro consideranda.*

Excellentissimum opus, quod vis vt operemur, est, vt te amemus, & de tuis bonis gaudeamus, si tamen id non eo modo faciamus quo tu cupis fieri, & quo suprà declaratum est, nõ est tibi gratum, neque magna dignum remuneratione.

Quomodo proximum diligere debeamus.

Aliud huic simile opus quod tu cupis nos agere, est vt proximum amemus: sed si id nó facimus eo quod cupis id fieri, non assequemur sublimia præmia eorum qui rectè & secundùm te, proximos amant. Hoc est, inquis, præceptum meum vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.

Da igitur vt attendamus & intelligamus modum quo tu nos amasti, vt inde discamus modum, quo vis vt proximos amemus.

Quomodo Christus nos amauit.

Amasti autem nos (ô supreme Domine Deus noster) deducendo nos ad sublimem tui amorem. Amasti nos inducendo ad tolleranda huius mundi aduersa: nunquàm laxando frena, ad vana huius seculi oblectamenta supra id quod necessum foret ad corporis sustentationem. Amasti nos pro nobis moriens, vt dares nobis virtutes & gloriam. Et hoc amandi modo, fuisti omnium maximè amoris deditus: inimicissimus auté omnis vani amori, quo seculi amatores se inuicem amant. Vnde & tu dixisti: qui non odit patrem & matrẽ, & fratres, non potest meus esse discipulus.

Da igitur & fac vt proximos amemus eo modo quo tu præceptor noster nos docuisti, & prout nos amasti: abiectis cunctis alijs vanitatibus, quæ amori se immiscere solent. Quarum vna etiam à spiritualibus viris est valdè præcauenda, scilicet.

Vanus amor ex spiritualibus

Offertur persona quæpiam, quoad animam virtuti dedita, quoad corporalem præsentiam & conuersationem gratia & faceta. Huic personæ afficiuntur nonnulli spiritua-

les,

les, in tantum, vt in eius amore cor eorum captiuetur, sitque illis molestum hanc personã non videre, non alloqui, non agnoscere in ipsa reciprocum erga se amorem. *qualiter precauendus.*

Talis amor vanus est. Nam etsi fieri potest, quòd ex vero amore inchoatus sit, & partem habeat spiritualis amoris, non est tamen purus, nec propter te Deum solum.

Tu verò requiris, vt te toto corde amemus, & vt totus affectus noster in te occupetur, aut in alio aliquo, quod totum ad te dirigatur.

Si quis sui amici seruum ita diligeret, vt longè magis delectaretur esse, & colloqui cũ ipso seruo, quàm cum suo amico: Certè non dicendus esset hunc seruum amare propter amicum, sed quia suauis & grata esset illi conuersatio. Sic & nos si in aliqua persona vel creatura magis delectemur, quã in te (Deus) illam non amamus propter te, & ideò vanus & impurus est noster amor talis. *Simile.*

Da igitur & fac, vt amor noster erga omnes & singulos proximos nostros tanto affectu feratur, quantus procedere potest ex affectu quem ad te habemus, abiectis aliis vniuersis affectibus, vt locum habeatis, quem tibi Deo debemus.

Vt autem sic propter te inimicos nostros diligere valeamus, da vt attendamus sequens exemplum. *Quo modo inimicos propter Deum diligere debeamus*

Bonus filius qui vnicè patrem suum, à quo nihil expectat, diligit, & ei per omnia placere appetit modo suprà explicato:) si intelligat aliquem seruum à patre suo vnicè amari, qui *Simile.*

tamen sibi sit prorsus inutilis, imò & odio-sus, & si se tantum quæreret, famulum illum à se obligaret: attamen nolens vt patri quicquam molestum accedat; sed potius quærens quicquid est illi delectabile, seruum illum, nullo alio, quàm amore patris inductus, in sua domo recipit, sustentat tanquam vnum charissimorum sibi famulorum, & ita illi loquitur eumque pertractat, vt etiamsi domum vellet exire, doleret filius, velletque & rogaret eum ne egrederetur, veritus ne pater exinde contristaretur: & hæc omnia facit filius ex sola patris amore.

Applicatio similitudinis.

Sic da & fac (ô bone IESV) vt omnis amor noster erga proximos, pcedat ex amore quo te diligimus. Nempè vt considerantes quod tu oẽs tantum amaueris, quod pro ipsis morti te tradidisti, cùm adhuc essẽt inimici. Nos etiam omnes eos amemus, subueniendo eis in omni eo quod bonum est, quodque ipsis, rum quo ad corpus, tum quo ad animam necessarium est, quantum solemus amare eos qui nos plurimum oblectant: Idque etiamsi eorum conuersatio nobis odiosa sit & molesta. Et pro tui amore ita illis loquamur, eisque omnia necessaria prouideamus, tanquam his, qui à te patre & Domino nostro plurimum diliguntur, & quia ita vis & iubes à nobis ita eos diligi.

Qualiter proximos propter Deum diligere debeamus.

Hæc autem omnia faciamus tanta, tamque feruenti voluntate, quãta possumus, eo quòd id sit tibi gratum maximè, velisque vt ita faciamus, & hæc sit infinita voluntas tua, vt ita à nobis fiat.

Quis-

Quisquis nos iniuria afficit, magnam nobis præbet occasionem, vt in tuo, Deus, seruitio crescamus. Quam igitur excusationem habebimus, si non intimis & ardentibus visceribus eum diligamus, cum præter hanc magni boni occasionem, quę inde nobis superuenit, tu Deus, velis & iubeas vt eum diligamus. Ad quod etiam inuitamur, dum consideramus, quod & tu (Deus) fortassis suscipies ab hoc nostro persecutore sublimia obsequia, quémadmodum suscepisti à Saulo S. Stephanũ persequente.

Non debet ergo haberi bonus tuus seruus aut discipulus, qui non gaudet afflictionibus vel iniuriis, quæ sibi pro te Domino suo inferuntur. *Non est dicẽdus verus Dei seruus, eis qui non gaudet afflictionibus.*

Da igitur, vt quoties iniuriis & aduersitatibus exerceri & affici nos contigerit, sola tibi seruiendi voluntas facit, nos minùs eum amare, qui nos affligit (quem noster inordinatus appetitus reddit nobis odiosum) quàm illum, quem beneficiorum abundantia inuitat, vt eum amemus.

Quamuis autem amor noster debeat æqualiter esse ad omnes, primùm tamen, quo ad affectum bona opera, exhiberi debet erga eum, qui virtuti deditus est & beneficus erga nos.

DE AMORE CVIVSQVE ad ſeipſum.

CAPVT III.

SVPERAMANTISSIME Deus, qui iubes, vt amemus proximos (tanquã populũ pro quo animam poſuiſti) ſicut nos ipſos: Da & fac, vt ſciamus & velimus noſmetipſos ſic amare, ſicut vis & tibi gratum eſt, ad quod da vt hæc tria ſeruemus.

Tria ſeruanda vt noſmetipſos pure amem⁹

Primò vt totis virib. id procuremus, vnde intelligimus verũ aliquod & ſalutare bonũ nobis prouenire poſſe. Secundò, vt omne illud deuitemus, quod poteſt nobis verũ malum aut damnũ afferre, quale eſt ſolũ peccatum, vel occaſio peccati. Tertiò, quod etiam ſi ad hæc obtinenda ſeſe difficilia offerant, non recuſemus nos illis obijcere & offerre.

Bonum nobis optem⁹ & quæramus non propter nos; ſed propter Dei beneplacitum.

Cæterùm, cum in quacunque re, qua velut bona concupiſcimus, duo poſſint conſiderari. Primum, bonum & cõmodum quod ex ea re nobis contingere poteſt: Alterum quod tibi Deo gratum eſt, vt huiuſmodi bonum nobis proueniat: Si verè nos amamus & magna nobis bona deſideramus, debemus parui æſtimare bonum quod nobis ipſis poteſt contingere ex omni quod facimus aut deſideramus: illud inquam parui reputare debemũs quatenus ñoſtrum bonum eſt, ſi ad ſecundum aliud conferatur, nempè quod ſit tibi gratum & ſanctæ tuæ voluntatis impletio inde redundet.

Non quieſcamus igitur, donec per gratiã

tuam talis in noſtra voluntate & appetitũ fiat immutatio: vt in omnibus quod cupimus nobis, aut procuramus: non propriam aliquã vtilitatem exoptemus, ſed tuam voluntatem & obſequium tibi gratum. Sic enim ex eo etiã magis ditabimur. Siquidem quo magis noſtri commodi proprij obliti fuerimus vt diuinæ tuæ voluntatis & gloriæ recordemur: tantò tu amplius curam habebis, nos omni bono ditandi.

Non quieſcamus etiam in ſuauitate quã percipimus, in obſequijs tibi à nobis præſtitis, ob expectatam gloriam: ſed conemur per ipſam ſuauitatem peruenire ad guſtum percipiendum, in conſideratione boni, gloriæ, ac dominij, quæ tu Deus poſſides, vtq́ue magno animo te laudemus. Prætereà vt ſublimem & tibi gratum amorem noſtri obtineamus: da, vt in eo in quo mundani ſeſe amare ſolent, nos ipſos odio habeamus.

Nõ debemus quieſcere in ſuauitate quã ſentimus in Dei obſequio.

Vt verè nos amemus, & magnifica ac ſublimia bona nobis deſideremus: Da & fac, vt ſemper & vbiq; ac præ omnibus magno animo te laudemus, tibiq́; gratias agamus.

Tũc nos verè amamus qñ in omnibus Deũ laudamus.

Porrò nihil aliud eſt ſpecioſa laus tua, quàm vt gaudeamus referre vniuerſo mundo magnalia tua, tuaſq́; perfectiones & nomina. Et quoties aliquid de his recogitauerimus, dixerimus aut audierimus: nouum gaudij motum inde ſentiamus, qualem mundani ſentiunt, dum laudari vident ſeipſos, aut ipſos quos plurimùm diligunt.

Quid ſit Deũ laudare.

Vt autem gratias dignè & verè tibi agamus, Da & fac, vt primò recognoſcamus &

Quid ſit Deo gratias agere.

adorantes confiteamur te Deum ac Dominum esse bonum infinitum, à quo emanat omne bonum & beneficium. Secundò, gaudeamus de omni tua gloria: quodque ex accepto beneficio à te, videmus nos aptiores, vt te magis amemus, & tibi obsequamur. Tertiò, vt pro accepto, vel cõmemorato tuo beneficio, tibi offeramus omne id quod sumus: nosmetipsos in nostra voluntate annihilando, quatenus nos totos corpore & anima exhibeamus in tuum obsequium: producendo tunc magnos voluntatis actus, quibus gaudeamus de magna tua potestate, ac bonitate, vnde profluit commemoratum beneficium.

In hoc autem potissimùm attenti esse debemus, vt quoties de accepto beneficio tibi gratias agimus, is animi motus, eaq; voluntas, quibus gaudemus de tali beneficio, actu procedat, non ex eo quod nos magis locupletatos videmus, sed ex eo quod per huiusmodi beneficium nos robustiores videmus & aptiores ad te amandum, & gratum aliquod tibi obsequium præstandum, reiecta à nobis consideratione boni, quod inde nobis prouenit: Quemadmodum si quispiam primorum famulorũ Regis gaudeat, quod magnum à Rege perceperit beneficium, vt ex maioribus opibus possit illi maiora & gratiora præstare obsequia, absq; respectu aliorum beneficiorum aut donorum.

Simile.

Pro quibus & qualiter

Hoc motu intellectus ac voluntatis, adorando te & laudando, ac amando: congratulandoque tuæ bonitati ac liberalitati, ac

cum

cum profundissima nostri annihilatiõe nos totos tibi offerendo: debemus indies singulares gratias tibi agere. Primò, quòd tu es & habes, de quo magis quàm de nostro bono gaudere debemus. Secundò, de beneficio tuæ incarnationis ac redemptionis nostræ. Tertiò, de beneficiis Beatissimæ matri tuæ præstitis. Quartò, de beneficiis omnibus aliis sanctis, præsertimque patronis nostris, collatis. Quintò, de his quæ nos à te singulariter recepimus. Sextò, pro beneficiis quæ à te recipiunt quotquot in hoc mundo viuunt, potissimùm hi qui nos iniuria afficiunt, & pro quibus magis tenemur orare. Super his omnibus intimè gaudentes, debemus tibi Deo nostro, à quo omnia bona procedunt, singulares gratias agere.

debeamus Deo gratias, agere.

Sic facientes, & in prædicta gratiarum actione nos occupantes, verè nos amamus, & sublimia bona nobis procuramus: Nam pro nostro assumimus quodcunque bonum cæteris præstitum est, & facimus nostrum bonum, omne bonum alienum: tantoque magis nostrum bonum accrescit, quantò magis de his omnibus solo tui amore gaudemus, & pro omnibus gratias tibi agimus, absq; vllo respectu talis incrementi, & nostri cõmodi.

Gratias agendo pro omnibus, nos verè amamus.

In his postremis verbis consistit summum quod exigitur, vt gratiæ tibi Deo gratæ agantur.

Ad hoc vt nosmetipsos verè amemus, expedit etiam vt quoties contingit nos aliquid dicere aut facere, vnde arbitramur confusionem recipere, ex eo quod qui id vident, nos

Dum aliquid confusione dig-

vili-

num e-gimus, quidde-beamus facere. vilipendent: in hoc duo considerare debemus. Primò, confusionem ipsam, quæ in hoc casu nobis offertur. Secundò, prauum exemplum malè de nobis iudicandi, aut idem imitandi, vel turbationis occasionem, quam alij fortasse inde sument. Quo ad primum: Da bone IESV, & fac, vt magno amore confusionem illam amplectamur, reputantes & gaudentes quod ex hoc alij modicæ virtutis nos esse existimabunt, & homines nulli rei vtiles. Sic enim vehementem patientiæ & humilitatis actum exercebimus tibi gratissimum, & ad producendos excellentes habitus efficacissimum.

Quo ad secundum verò, da, vt statim doloris actum producamus, ex eo quod fortassis alicuius mali, aut minoris, quam par sit obsequij tui diuini occasio fuimus. Sic ab vtroque lucrum referemus non modicum.

Omnem nostri amorē in Deū debemꝰ transferre. Denique da & fac, vt omnem nostri amorem in te transferamus, & à nobis ipsis cæterisque creatis abstrahamus, vt sic tui amore simus capaciores, qui sumus magis tui, quàm nostri, & tibi magis debitores, quàm nobis ipsis. Tu verò nobis procuras & promoues quæ nobis conueniunt, quàm nos ipsi: magisq; laborasti vt nobis dares vitam, quā nos vt illam haberemus.

CON-

CONCLVSIO HVIVS LIBELLI.

Concludentes hoc Opuſculum, duobus ſubſtantialibus punctis illud comprehendamus nempè: Beatū illum eſſe, qui omnes ſuos motus & opera, propter ſolum Deum fuerit operatus, vt in prima parte eſt declaratum. Secūdò, Beatum eſſe illum, qui in anima ſua valdè firmauerit eorum actuum multiplicitatem, qui toto hoc libro proponuntur: quos exactè noſſe debet Tyrunculus, qui hac Methodo rectè vti cupit. Qui autem in Dei obſequio magnus eſt, debet illos in opus deducere. *Epilogus totius huius Methodi & libelli.*

Legant igitur omnes hanc Methodum: legant, qui eam nouerunt, quò faciliùs valeant meminiſſe, quo pacto ſibi ſeruiri velit altiſſimus: Legant, qui eam non nouerunt, quo pertingant ad tam ſublimem ſcientiam: Qua qui vſus fuerit, vno anno pura perfectioraque Deo præſtabit obſequia, quā decem annis, qui non fuerit adiutus hac, aut ſimili Methodo.

DEO GRATIAS.

C. C. R.

INDEX RERVM ET SENTENTIARVM IN PSALTERIO DECACHORDO & Methodo seruiendi Deo contentarum.

A.

B.

C.

D.

G.

H.

I.

M.

O.

R.

S.

T.

V.

FINIS.

C. G. R.

Proroctwo

Pewnika Krola ktory Szwiec
ktory dymi Ziemia z Prosta
rzgonrat na polsko po Ligura

V. C. Non ornat idem Ex Almirant

M. Non regnat ic Michie

Moritur dem Joannes M

I. A. R. Cudne incipiet et omnia
bene finiet

Et Dabit animam pro omnibus
Vladislaus Rex Anglia

E. Luet.

T. Ruet.

C. K. M. petite pateret time

M. L. Aperient Afama Cry...

...m Guonum Eprincipe ...

Alta perennete Aquila nigra
sequetur
Duplici Cingetur Corona
ut serent Felicis Regni

Ex Libris

G[illegible]ski

Studiosi A. A. Orat[illegible]

[illegible] ut more [illegible]

[illegible] Uno verbo

[illegible] [illegible]

[illegible] [illegible] Sophi[illegible]

[illegible] qui [illegible]

[illegible]antissimi



Death of [illegible]

Balter [illegible]

[illegible]

Michaele Joannes R.P.F.

Decachordum psalterium,
in quo traditur methodus utilissima,
tum ad stabiliendum sub psalmodia
et oratione vocali attentionem et devotionem
tum ad usum variorum Dei nominum, et
obsecrationum, ac petitionum salutarium: quae
hic proponuntur et explicantur et ex eis semper
et ubique formentur et licianter devotae
aspirationes et iaculatoriae ad Deum orationes, ad proficiendum in amore Dei
non parum utiles.

Coloniae Agrippinae

Apud Joannem Gymnicum, sub Monocerote
1600.

16°. 6 k.n. – 397 str. – 4 k.n.
†3 – †5 A – A7 – S – S4

Miedzioryt Opr. – skóra

Michaele Joannes R. P. F.

Decachordum psalterium,

in quo traditur methodus utilissima, tum ad stabiliendam sub psalmodia et oratione vocali attentionem et devotionem: tum ad usum variorum Dei nominum, et obsecrationum, ac petitionum salutarium: quae hic proponuntur et explicantur et ex eis semper et ubique, formentur, et liciantur devote aspirationes, et iaculatoriae ad Deum orationes, ad proficiendum in amore Dei non parum utiles.

Coloniae Agrippinae

Apud Joannem Gymnicum, sub Monocerote.

1600.

16° 6k.n – 397 str. – 4k.n

+3 – +5 A – Az – 85 – S4

Miedzioryt

Opr. skóra